


Vi firme que expurgo con por el
expurgatorio deste año de 1640

fr Pedro
de Lorra

CYPRIANI MONACHI CISTERCIENSIS, INSTITVTI. D. BERNARDI, DIVINAE LEGIS INTERPRETIS in Complutensi academia, Commentarius, in Psalmum. XXXVIII.

Ecclesiæ iudicio omnia submissa sunto.

Τῷ Χριστῷ



COMPLVTI.

Ex officina Ioannis Brocarij. 1555.

VIRO CLARISSI-MO ATQVE ORNATISSIMO DOMI-no D. Martino Godoi Loaisa Decano Siguntino Petrus Fõtidonius S. P. D.



ILLA MEVM ANIMVM diu suspẽsum tenuit cogitatio, vir clariss. eamque libenter, ad te soleo sæpe deferre: qui fiat vt magno & excellenti ingenio, singulariq; doctrina viri, suas vigilias atque ingeniorũ monimenta, in lucem edere tantoperè reformident: ij verò contra, quibus non tam maturũ iudicium est, quicquid domi, vel per ludum excogitarunt, præcipiti temeritate, & inani quodam studio gloriæ, illud statim hominũ iudicijs committant: níhilque illorum acres reprehẽsiones vereãtur. Huius rei causam diligẽter inuestigãti, illa succurrit. Ijs nimirum suos partus (quod de Poetis Plato dicere est solitus) vehemẽter placere: molestáq; illam

nouē annorū morā perpeti nō posse, quin il licò suorum laborum gloriola viri perfruantur. Illis verò summopere suos displicere conatus, quibus nihil nisi perfectū placere potest: semperq́; aliquid scriptis suis, vel adesse, quod resecari potuerit, vel deesse, quod erat necessarium suspicātur. Multa possem & antiquorum, & nostrorum hominum exempla proferre: qui licet propter incredibilē sapientiam hominibus essent admirationi, diuinas suas cogitationes, posteritatis iudicia reformidantes, literis mandare noluerunt. Multosq́; libros ἀνωνύμους passim reperias, eruditione plenos atque doctrina: in quibus cū doctissimi homines multa sapienter accurateq́; dixissēt, suis nominibus (illud quod modò dicebamus veriti) pepercerunt. Et ne in re aperta, atq; testata exēplis vtamur lōgè repetitis, id in tuo Cypriano vir clariss. cognoscere potuisti. Cuius cùm diuinum ingeniū, singularis doctrina, assidua in diuinis literis exercitatio, magna nobis adiumenta, ad ingrediendam diuinarum scripturarum viam, pollicerentur, illum hactenus, qui cæteros sapientissimos viros timor, retardauit. Sæpe ego illius in vtrunque testamentum Commētaria, summa cum voluptate perlegi: & sapiē

tissimos

tissimos diuini hominis labores sum admiratus: doluique vehementer diuinarum legum studiosos, præsidijs tam necessarijs tādiu caruisse. Et cum nihil sit, quod amore, studio, & beneuolentia, obtineri non possit, flectere tamen illius animum, aut eò deducere non potui, ne rem tantam studiosis hominibus inuideret. Sed tandem honesta & officiosa, vt mihi videbatur, vt sibi verò, & molesta & importuna mea flagitatione victus est: sed tamen ego molestum atque parum officiosum videri, communis boni cupiditate neglexi. Solumque lucubrationes has in præsentem Psalmum succisiuis horis æditas extorsi: quibus diuinæ legis cultores intelligerēt, traditam sibi esse rationem, ad inuestiganda diuinæ sapientiæ consilia, & ad cęteros psalmos pro dignitate tractādos. Neque diu illa me cura remorata est, ad quem potissimum has doctissimi hominis vigilias miterem cum tu nobis primus occurreres, vir clariss. qui nunquam animo nostro excidis. Etenim æquum est, tui memoriam animo nostro, sēsu, mēte, cogitatione, perpetuo esse defixā, in quo vno diuina bonitas, nostra oīa studia, nostrasq; rationes voluit esse collocatas. Sentio planè, quo animo atque vultu

ſis hoc opus excepturus: & à Cypriano quẽ vnicè diligis cõpoſitũ, & ab eo miſſum qui te tãtoperè colit & reueretur: & ad te, qui & illum colas, & me ames, & ardeas cupiditate incredibili ſapientiæ. Vt ijs rebus maximis quas tibi natura fortũaq́; largita eſt, accedat etiam noua virtutis & doctrinæ gloria. Cupiasq́; tu te ipſum, quem maiorum tuorũ tot ſæculis repetita nobilitas illuſtrauerat, ſtudijs tum philoſophiæ tum etiã Theologiæ atque virtutis (in quibus vera gloria ſita eſt) veluti proprijs acceſſionibus laudis, amplius exornare. Quod planè quis non admiretur, præſertim in ea fortuna, quę amica luxus, & otij, hoſtis verò virtutis atque literarũ eſſe ſoleat? Macte igitur virtute fruere fœliciter, tot tantisq́; tuis, & naturæ, tum etiam fortunæ, atq; virtutis & ſapientiæ bonis, & clariſſima tuæ probitatis, iudicij, humanitatis, opinione: tũ etiam & hoc tui Cypriani munere, quod intelligo multis rationibus tibi futurum eſſe gratiſſimum. Vale.

PET.

PETRVS FONTIDONIVS Segouiẽsis Rhetoricæ professor in Academia Complutensi Christiano lectori. S.



Nter omnia sanctarum scripturarum monimẽta, quibus diuina sapientia, mortaliũ animos, ad verã pietatẽ & religionẽ erudire voluit, candide lector, nullum est neq; præstãtius ad formandos hominum mores, neq; vehemẽtius, ad inflãmandas illorũ mentes cœlestiũ rerũ cupiditate, neq; iucũdius ad permulcẽdos animos suauitate, iucũditateq; sermonis, quàm eximiũ atq; planè diuinũ Psalmorũ opus. Quod sanè eã ob causam hominibus arbitror à Deo fuisse concessum, cũ vt optimis præceptis legibusq; virtutis, illorũ perditã & profligatã vitã cõponeret, tũ etiã vt viam illis quandã aperiret, qua eius iram & indignationem mitigare, & illius animũ hominũ sceleribus offensum, & indignabundum, ijs cantibus veluti demulcere, & in misericordiam flectere potuissent. Etenim cæteris voluminibus sacris, diuinus spiritus, vel rerum gestarũ memoriã solũ, vel vaticinia prædictionesq; fu-

turarum, vel præcepta bene viuendi complexus est: in hoc verò ita se effudit, vt quæ reliquis libris, diffusius atq; copiosius hominibus diuinitus inspirata, & consignata literis fuerunt, in hoc vnum illa omnia mira breuitate & cõcinnitate ab illo congesta fuisse videantur. Non vllas vitę componendę leges, quæ vsui hominibus esse possent, non vaticinia, quibus æternæ sapientiæ consilia nobis declararet: nõ exempla, quæ imitari: cõsilia, quæ sequi, non pollicitationes quibus ad virtutem allicere: non comminationes, quibus nos à vitijs deterrere possit prætermisit. Et hæc omnia, quò nostris animis illaberentur iucundiùs, & altiùs mentibus nostris infixa cõsiderent, harmonia quadã cõcentuq; verborũ exornari voluit: vt cũ explerentur aures iucundissimæ lectionis voluptate, nõ posset animus id respuere quod in ipsos mentis recessus se tanta cũ suauitate insinuaret. Ea est enim numerorum, & musicæ vis, vt homines vel intentissimis, profundisq; cogitationibus demersos, cũ illorũ aures blandè leniterq; tetigerit, excitet, & ad se rapiat, & aliarũ rerũ penitùs immemores, id solũ quod illã suggerit meditari cogat. Cupit diuina bonitas mortales omnes in sui amorẽ pertrahe-

re: nouit quoddã musicę pernitiosũ genus in terris versari, quo mirifice hoĩes delectarentur. Quid aliud fuere Syrenũ cãtus, q̃ illecebrę peccatorũ? quid aliud Syrenæi scopuli q̃ blãdæ quædã voluptatũ, & delitiarũ voces, quibus veluti dulcissimis quibusdã modulis, attonitus & stupidus noster animus, rerũ diuinarũ oblitus teneretur? Vt igitur nos ab ijs rebus seuocaret, quæ licet iucundũ initiũ, mĩserũ tamen & calamitosum exitũ essent nobis allaturę, & eas sectari faceret, quæ tametsi asperæ, horridæ, confragosæ principio viderentur, æternã tamen fœlicitatẽ ad extremũ pollicebãtur, hãc musicę rationẽ excogitauit, qua noster animus delectatus ea nõ sine aliqua voluptate degustaret, q̃ antea propter eorũ asperitatẽ reformidabat. Etẽm nullus tã perdita vita, tãtis sceleribus coopertus reperiri potest, qui si diuinis ijs cantilenis patientes aures tantisper accõmodauerit, non sentiat omnes illos turbidiores animi motus atque impetus, tanquam ad Pythagoreorũ lyrã cõpositos subsidere: seq; tædio simul atq; pudore quodã præteritæ vitæ teneri, & suũ animũ amore virtutis incendi paulatim atq; inflãmari. Acres eñ in ijs sunt vitiorũ reprehensiones, quãuis concentu temperatæ.

Faces etiã hic diuini amoris noſtris animis admouẽtur. Ijs cantilenis nonnunquã veluti claſſicũ canitur, & frigidæ, deiectæ atq; conſternatæ mẽtes impellũtur. Nonnunquã canitur receptui, & immanes perturbationes atq; ferę ſedãtur. Erigũtur interdũ animi ſpe fœlicitatis, & ſupplicij timore contrahũtur. Gaudio plerũq; lætitia, metu, cupiditate, omniũ deniq; affectuũ generibus, hominũ animi concutiuntur. Neq; id quidẽ mirũ videri debet. Etenim ſi Orpheus, & Amphiõ, quos tantoperè gentilitas coluit, & admirata eſt, & inertia ſaxa, & frigida marmora, mutasq; ſyluas, & nemora, dulci atq; ſuaui lyræ concentu, vel reluctãtia pertrahebãt, & illorum veſtigia attonitæ feræ ſequebantur, cur diuinus ſpiritus ijs carminibus deliteſcẽs, è cordibus etiã ferreis atq; ſaxeis lacrymas nõ extorquebit? Si Terpander, & Arion è lesbiorũ corporibus graues ægritudines & exitiales morbos muſica depellebãt: cur nõ Deus animorũ magiſter, vulneribus animi ijs poterit cantibus mederi? Iam verò hæc diuina carmina diuinũ aliquẽ cytharædũ poſtulabant: diuina ergo ſapiẽtia ex infinita hominũ multitudine ad tantũ munus Dauidẽ illũ ſanctiſſimũ Regẽ, fortiſſimũ ducẽ, iuſtiſſi-

mum

mũ virũ ſeuocauit, atq; illius manibus cythâram cõmiſit. Hic verò cũ ex hoſtibus inſignes victorias, celebresq́; triumphos, ſæpe reportaſſet, diuinã miſericordiã pro acceptis beneficijs carminibus celebrauit. Hic ſæpe in ſcelera prolapſus, vt eſt hominũ ingeniũ in voluptates procliue, diuinã indignationẽ carminibus retardauit. Hic deniq; omnẽ vitæ rationẽ exiguis ijs verſibus numerisq́; cõcluſit: tãtaq́; ſuauitate cecinit, vt plerũq; Saulis veſaniam cythara lenierit: & furioſas hominis perturbationes carminibus mitigauerit. Hanc Dauidis cytharam cũ multi antiquis tẽporibus ex ſanctiſſimis atq; ſapiẽtiſſimis hominibus ſuis manibus excepiſſent, iucũdè atque ſuauiter cecinerũt: ætate verò noſtra hac in parte iure optimo Academia Cõpluteñ. ſuo Cypriano, imò vniuerſa Hyſpania gloriari poteſt: qui incredibili ſapiẽtia, & exacta antiquitatis & linguarũ peritia, multarũ rerũ & diſciplinarũ omniũ cognitione, poſtremò verò inaudita eloquẽtia, huius cytharæ fides ita pulſauerit: vt illum grauiter & ornatè dicentẽ dulciterq́; canentem illuſtris hæc ſchola ingenti applauſu & acclamatione proſequuta ſit. Numeroſa confluit in eius celebre Gymnaſium ſtudioſiorum multitu-

do:

do: multi grauiss. homines, sapientiss. viri, copiosa nobilitas, quin & quod mirari sæpe soleo, confecti iam ætate senes, baculis innixi, suis sedibus ad eum audiendum excitãtur partim vt germanum diuinarum scripturarum sensum deprehẽdant, quem ille summo studio inuestigare contendit, partim vt eius sapientia cũ summa eloquentia cõiuncta perfruãtur. Quid plura? è mortuis credas Atheniensem illum Periclem excitatum, aut Herculẽ Gallicum, qui iniectis suauissimis cathenis hominum auribus, illos trahet sponte sequẽtes: & cũ eius gymnasium tanta doctissimorũ hominũ multitudine constipatum videris, illud maiori quodam iure Δεινοκράτειον ἵππον appellari posse iudicabis, quam illã præclarã Isocratis domũ, in quã veluti in cõmune quoddãomniũ disciplinarũ emporiũ, vniuersa Grecia cõfluebat. Tu verò candide lector, cum hęc doctissima cõmentaria perlegeris, & sapientiss. hominis diligentiã in eruendis scripturæ diuinæ sensis, in exprimẽda vi, proprietateq; sermonis, quę vna res vehemẽter est illius interpretationi necessaria, propterea quòd singulis verbis nonnunquã magna inuoluantur diuinæ sapientiæ consilia, cũ in tã exiguo opere tã variam omnigenamque

nãq; lectionẽ, & veluti ex omnibus artibus collectã eruditionis diuitẽ suppellectilẽ, cũ placidũ etiã atq; leniter fluentẽ decursum orationis sueris cõtẽplatus: intelliges planè hæc omnia sine omniũ bonarũ artiũ cognitione, totiusq; antiquitatis atq; aliarum multarũ rerũ præsidio prestari minime potuisse. Et cum difficilia atq; salebrosa loca tanta facilitate superata, & propheticũ spiritum verborũ inuolucris delitescentem, omniũ oculis expositũ videris, diuinũ vatẽ Dauidẽ, nostrũ Cyprianũ non interpretem modò sed quasi cõsiliorũ socium atq; comitẽ habuisse iurabis. Et quãuis ex hoc exiguo opusculo diuinũ hominis ingeniũ, atq; ex ijs veluti vmbris clarissimi viri expressã imaginẽ posses deprehendere, non tam volumus te hoc opere cõtentũ, q̃ erectũ spe maiorum rerũ, quas ille iam in lucẽ ædere parat, quæ magnum sint lumẽ sacris voluminibus allaturæ. Expectabis eñ Cõmẽtaria in Nahũ prophetã, in Mathęũ, in Cãticũ Salomõis, expectabis etiã de opificio mũdi libros tres, de symbolis Mosaicis opus plane diuinũ, ad aperiẽdos recõditiores diuinarũ scripturarũ fõtes. Quæ qdẽ opa sãctarũ literarũ studiosi veluti facẽ quãdã aut lãpada manib⁹ circũferãt q̃ veteri

instrumenti densissimas tenebras, obscurissimos mæandros, atq; flexuosos labyrinthos, sine vlla offensione peragrare possint. Adiecimus etiam in tuam gratiam, commentaria in Psalmũ. 130. olim Louanij excussa, sed multis erroribus deprauata. sed vt iam tandem ad nostrum pensum mentem atq; sermonẽ conuertamus, hoc est, ad explicandũ huius Psalmi titulum, nam argumentũ ipso statim cõmentarij vestibulo explicatur, vt nihil sit quod lectorẽ curiosum remoretur. Cum diuersis animorum vulneribus, diuersos etiam Psalmos Regius Psalmogrophus, vel diuinus potius spiritus, quasi antidotũ aliquod adhibuisset: hunc verò præsentem, cõfirmandis hominum animis, præsertim in rebus aduersis, & in indignatione, quæ est inimica consilij, & coercendæ linguæ temeritati destinauit. Cuius Psalmi lectio, ad substinendum omne fortunæ impetum, atque ad firmandum animum contra omnia malorũ tela, & linguam cohibẽdam summopere est viro Christiano necessaria. Psalmi vero titulus est prætermissa Septuaginta interpretum tralatione. Victori Idithum cãticum Dauid. Etenim ex quatuor lectissimis cantoribus, Asaph, Hemã, Etham, Idythum, & innocẽ-

tia

tia vitæ præstantibus, & diuino afflatis spiritu, quos Regius vates elegerat, ad canendos Psalmos à se domi compositos dictāte Deo: præsentē Psalmum Victori Idythum, hoc est supremæ voci ex ijs cantoribus quibus præerat Idythum canendum tradidit. Idythum vero, transiliens eos interpretatur. Quo etiā nomine admonemur nostræ desidiæ, ne nihil sit quod nos non admoneat, latent enim singulis non solùm verbis sed apicibus præcepta bene viuendi. quemadmodum enim Psalmi quidam appellantur ᾠδὴ ἀναβαθμῶν quod veluti gradibus quibusdam in sempiternas illas cœlorum sedes ascendendum sit: ita transiliens eos, nos docet oportere eū qui ad cœlestes properat domos, eos prætergrediatur, qui blādis & suauissimis illecebris in terra detinentur, & eos qui delitiarum cultores, voluptatū architecti, elisis omnibus virtutis neruis, sibariticam & syracusanam vitā immitantur: & tanquam libidinum serui, et voluptatum turpissima mancipia, misera vitiorum seruitute premuntur, & mollissimis cogitationibus effœminātur. Et eos potissimum qui maledictis & conuitijs aliorū virtutem innocentiamq; lacessunt. Et eos denique qui superbia, qui auaritia, qui cęteris flagitiorum

gitiorum generib⁹, veluti furijs agitantur; quaſicaligine quadam, & tenebris peccatorum inuoluti vix poſſent cœlum intueri. Qui ergo non tanta prudentia valemus, vt nos veluti Vlyſſem illum Homericũ Minerua perpetuò comittetur, his diuinis carminibus aſſueſcamus: ne procelloſum hoc vitæ pelagus ingreſſi, Syrenum cantibus leuis fragiliſq; noſtra cymba detineatur: ſed illos, cæteraque huius pelagi monſtra, ſumma ſecuritate prætervecti, complicatis velis, æternæ fœlicitatis portum teneamus.

Vale.

Dixi custodiam vias meas, vt nō delinquam in lingua mea,

CVm in grauem morbum, & periculosam ægritudinem, Regius propheta Dauid aliquando incidisset: illiusq; acerbitate, & impiorum hominum (quos florere videbat) fœlicitate, (si vlla in scelere potest esse fælicitas) vehemēter offenderetur: magno studio parique diligentia se cohibebat: ne verbū aliquod temerè effunderet: quod aut excellētis viri animo esset indignum, aut diuinis legibus aduersum. Accedebat ad huius rei indignitatē & molestiam (id quod grauiorem poterat concitare animi Exponitur argumentum psalmi.

offensionem, quòd regem ægrotãtem impij & nefarij quidam frequenter inuiserent, qui illum tanto odio prosequerentur: vt eorum animos molesta vatis ęgritudo extolleret in lętitiã & summam viri innocentiam, propter morbi periculum & magnitudinem, sceleris & flagitij insimularẽt. Inter tam uaria itaque peccati incitamenta, incredibilem animi moderationem & temperantiam pręsenti carmine declarauit. Nam & querelas suas apud iudicem Deum exponit: & impiorum hominum impudẽtia & petulantia cõtempta, supplex petit liberationem à morbo: quem suis sceleribus inflictum arbitrabatur: & artificiosa satis oratione diuinã

implorat misericordiam: illiusq; potestatem & bonitatem intuetur: deque uarijs rebus: & ad pietatem & religionem pertinentibus christianũ hominẽ erudit & instruit. Priores ergo quatuor versus, acerbitatẽ animi prophetici, & affectus qos græci τὰ πάθη appellãt: exponunt. Reliquis omnibus acerbitati huic & molestię præstantissima remedia adhibẽtur. ¶ dicendi itaq; verbo variè vtitur hebræa lingua, huiusque vocis significatio latius patet, quàm vt paucis à nobis comprehendi possit. Illius tamen euidentiam, ad eruenda arcana & mysteria primi huius versiculi explicauimus. Iuuabit sanè hic noster labor, tum ad expediẽda diuersa

ſanctarum ſcripturarum loca: tum vero maximè ad inueſtigandum germanum huius loci ſenſum. Hebræis itaque, dicere, *idem eſt, quod cogitare, & deliberare, aut ſtatuere. Id quod varijs teſtimõijs, vel mediocriter in ſacris literis exercitato, firmare ſit promptum. Moſes ille ſanctiſimus, cùm prodigium conſpiceret in monte Oreb ſibi oblatum, dum ſoceri verſaret oues, rubi virẽtis ſcilicet, quem, citra foliorum frugumq́ue cladem, flamma compræhenderat, eius rei nouitate ſtupefactus aliquandiu defixus ſtetit, vt ſacra refert hiſtoria, poſtremo explorandæ rei ſtudio, & cupiditate de tentus* dixit. *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam,*

quarè non comburatur rubus. dixit itaq; Moſes idest intra ſe cogitabat, atque in hunc modum penès ſe ſtatuebat. Vadã, & videbo. Geneseôs prę terèa cap. 4. cùm prima fœmina, tuẽdæ posteritatis principium in lucem & vitam emiſiſſet: Cainũ propria lingua filium quem ſusceperat appellauit, dicens. hoc est, ita ſecum cogitans, atque hæc altiori mente pertractans. Diuinæ voluntati & amplitudini hoc tantum beneficium tribuendum est: quòd filium genui, in quem ſpes dilatandæ ſobolis incumbat. Vtuntur frequenter tum ſacri vates, tum ſancti euangelistæ eodem loquẽdi tropo. Eſai. 42. legimus. Nõ est qui dicat, idest cogitet, conſiliũq;

capiat. Et apud eundem prophetam. Audiui vocem dicentis idest delibe rantis. Vnde, & Mathæus euange lista, de pharisæo illo, qui Christum ad lautiores epulas inuitauerat: dicebat, inquit, phariseus intra se, hoc est, in hũc modum secum cogitabat. Et apud Paulum apostolum de cultoribus externæ philosophiæ. i. cap. epistolæ ad Rom. dicentes se esse sa pientes, idest cogitantes, siue deffini entes ad apicẽ se peruenisse sapiẽtiæ: in summam stultitiam atque demen tiam fuêre prolapsi. dicere proinde more sanctarum scripturarum, hominis est, semel de re aliqua & statu entis & deliberantis. Prima itaque beatæ vitæ elementa & officia, Re-
gius

gius propheta præſenti verſiculo mortalibus explicat. Eſt enim primus ad virtutem gradus, de pietate ſectãda, deque cultu honeſti, ſemel nobiſcum & ſtatuere & deliberare. Ne poſt quàm à peccato & perdita vita, & flagitiorũ ſterquilinio emerſerimus: in eandẽ propter ſummam animi inconſtantiã, denuò reuoluamur. Quo fit, ut propter ſignificationem huius verbi, in iis rebus præſertim quæ ad pietatem & animi cultum pertinẽt, antiqui vates dicendi *verbum frequenter vſurparint: ad inſinuandam certam de ſectanda virtute, firmãq; & conſtantem deliberationem. Ab ea animi firmitudine profectas voces illas crederim.* dixi, *confitebor aduer*

primus gradus ad virtutem.

ſum me in iuſtitiam meam, ideſt, decreui certo conſilio peccata confiteri, neque ea occultare crimina: quibus autorem meæ fœlicitatis deum, prouocaui. Latet in hoc verbo dicēdi, *quo ſæpiùs vtuntur ſancti homines, ſingularis illa filiorum dei ſapientia. Si quidem ſapiētis hominis eſt, in iis quæ ad pietatem & religionem pertinent: ita ſecum ſtatuere ſemel, vt animo ſit ſemper certo & confirmato. Stultorum autem, ad eam animi firmitatem & conſtantiam, nunquam ita accedere: vt cum propheta poſsint occinere.* Dixi, *cuſtodiā vias meas. Stultus (inquit ſcriptura ſacra) mutatur vt luna, ſapiens autem permanet vt ſol. Nam ſi ſemèl efferat verbum*

Stulti mutatio. Sapientis constantia.

hoc dixi, *nihil eſt toto naturæ ambitu, quod eum à ſententia & conſilio depellere poßit. Talis erat Paulus apoſtolus, quem neque mors, neque vita, neque altitudo neque profundũ, neque creatura aliqua, à charitatis christi complexu poterat diuellere.* *Iuſti hominis conſtantia.*

Itaque dicendi *verbo firmitudo illa, ſingularisque animi coſtantia exprimitur, multis ſanctarum ſcripturarum oraculis celebrata, quæ neque mortem neque vitam, neque vllã aut cæleſtem vim aut infernam reformidat.* Contra *vero, apoſtolus Iudas ea epiſtola, quã canonicã appellamus: de filiorum ſæculi huius inconſtantia & leuitate, qua nihil turpius eſſe poßit, multa & copioſe & eleganter*

Inconstātia impiorum.

disseruit. Eos enim appellat nubes sine aqua, quæ â vento circūferuntur, arbores autumnales, infructuosas, bis mortuas, eradicatas, fluctus feri maris despumantes suas cōfusiones, sydera denique errantia. Quemadmodum enim infœcundæ nubes leues sunt, & quocunque agitantur vēto, & impelluntur, soluuntur facilè, & dissipantur: sic etiam & perditi homines tametsi à corrupta & scelerata vita ad virtutem aliquando fecerint regressum, eamq; animi firmitudinem & constantiam se arbitrētur consecutos, quæ verbo dicendi exprimitur: repente tamen illorum leuitas & mobilitas se prodit: & à se ipsis ita desciscunt: vt neque in hac neque

que in illa parte fidem habeãt. Quo fit, vt fluctibus etiam despumantis maris propter animi frequẽtẽ agitationẽ illos aßimilet, id quod ab Esaia propheta sumptũ arbitror. Sic enim habet cap. 57. Impij quasi mare feruens quod quiscere non potest. Suis enim decretis atque cõsilijs, denique rebus omnibus (non secus atque mare solet) fluctuare videntur. Contingit autem interdum, vt impij & nefarij homines, animi constantiam quandam pertinaciter tueantur. Sed tũc maxime cũ Deo aduersantur: diuinasq; leges & mãdata expugnãt: & pietati & religiõi infenso animo sunt et inimico. De impiorũ itaque studijs, cœptis, & institutis, idem Regius

gius propheta alio in loco dicebat. Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso: non est timor dei ante oculos eius. In animum inquit induxit, consiliumque cepit impius, sed, de irritãdo Deo, de violãdis diuinis legibus, & vt omni se scelere & flagitio contaminaret. Quemadmodũ enim ad superiorem illam deliberationem filiorum dei, omnis sequitur ratio religionis & pietatis, ita & ad cõsultationem impiorum totius innocentiæ & ꝓbitatis dissolutio & interitus. Eamque obrem, à propheta adiectũ arbitror, non est timor Dei ante oculos eius. Nam reiecto timore, præfractisque verecundiæ repagulis, post dissoluta & perdita cõsilia, intrepidè

dè atque licenter peccant. Sequitur deinde alter ad pietatem gradus, is est. Custodire vias, ideſt cogitatus et ſtudia interioris hominis. Sic quidẽ ſcriptura diuina frequenter decreta & conſilia omnia, tum iuſtorum, tũ impiorum hominum, vias appellat. Quamuis non ignorem & negocia, & opera ipſa externa, in terdũ vias appellari. Eſt igitur noſtris cogitatis modus adhibendus, eſt adhibendus ordo, componendique ſunt & dirigendi affectus, ea ratione, vt nũquã à recto & virtute declinent. Atque, huic negocio magna ſemper adhibenda eſt diligentia, exemplo vatis dicẽtis dixi, cuſtodian uias meas, Quorſum igitur ſpectat tam ſolers

2 gradus ad uirtutem

Quid vias appellet ſcriptura.

cura atque diligentia, tam firma præterèa deliberatio, aut quibus ex causis eximius vates ita secũ statuebat, vias meas custodiam, *hoc est colligam & retinebo mentis cogitatus, proprijsque affectibus modum imponam?* Vt non delinquam in *lingua mea. Sed nunquid graue adeò periculum in omnem vitæ rationem intentum arbitreris: nisi tecum sædulò statuas, mentisque vias, hoc est cogitatus & cõsilia custodias: vt lingua non delinquat, & nefas aliquod edat? Aut adeò facilè labitur lingua, vt tam firmo præsidio diligentique custodia egeat? Sed (quando liberæ sunt cogitationes nostræ) finge, lin-*

gua

gua labaris aliquandò, adeò ne grauis linguæ lapsus censendus est: vt sit tantoperè fugiendus & pertimescendus? Immensum quidem esset paucis colligere, quæ apud prophanos scriptores: de cohibenda & moderanda lingua, & silentij fructu dicuntur. Quæ sunt ab illis & soluta oratione & ad stricta, numeris celebrata ac de cantata. Nam Menander. nihil vtilius silentio iudicabat, cùm dixit. Οὐδὲν σιωπῆς ἔστι χρησιμώτερον, Charetes præterea linguam inprimis vbique moderandã docet: & silentium iuueni & seni summum honorem conciliare. Athenodôrús de eadem re, silentij præmi-

Silentij fructus.

nihil silẽtio conducibilius.

præmium periculo vacare aiebat. Quæ ſunt ab Amphide, & Philonide, & Dione confirmata: qui de tuto ſilentio, multa ac varia literis prodidêre. Quibus etiam Homerus ſuis temporibus, magnam tribuit autoritatem: qui Therſitis loquacitatẽ repræhendens: multis verbis linguę moderationem comẽdauit. Sed ad noſtros accedamus autores, inſtitutoresque vitæ: vt ab illis diſcamus quibus ſit pręſidijs lingua munienda & cuſtodiẽda: ne magnũ in omnes vitæ partes incẽdiũ excitet. Iacobus apoſtolus cap. 3. eius epiſtolæ, quam canonicam appellamus, linguæ vitia deſcribens: & quę ab ea oriuntur incendia & clades, in hunc modum inquit.

quit. Lingua cõstituitur in membris nostris: quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ. Ac deinde eam aßimilat exultanti sine fræno equo & subsilienti. Naui præterea, temone & gubernaculo destitutæ: & flammæ ignis, omnia in gyrum deuoranti. Quis igitur nisi mentis impos, sine graui formidine in equum præferocem & intractabilem insiliat: nullo iniecto fræno? Aut nauigio se committat: quod nullis gubernaculis circumducatur? Quis vero vastißimam ignis flammã sine grandi discrimine manibus comprehendat? Oportet, inquit Iacobus agnito periculo quod ex lingua frequenter nascitur: tanquã feroci equo

frenum iniiciamus, ac veluti nauigio ventis agitato, rationis temonem & gubernaculum adhibeamus. Nec minus reformidãda est humana lingua quàm lingua ipsa ignis, hoc est flamma, cui lingua neque specie neque colore absimilis esse videtur. Neque aliter circũuoluitur & inflectitur quã flamma. Quia igitur ignem in ore portamus, & flammas nobiscum circumducimus, magna sanè cautio & prouisio sit adhibẽda: ne præter rationis imperium temerè aliquando lingua discurrat. Eleganter enim ab Enio dictum accepimus de sapienti viro. Flammam ab homine sapienti faciliùs ore inardente opprimi, qui bona dicta teneat. Subiecit deinde

Flammæ similis lingua.

de Iacobus. Lingua eſt, vniuerſitas iniquitatis. Quis itaque non timeat ipſam vitiorum omnium ſentinam, atque congeriem ſcelerum & flagitiorum? Eſt itaque Prophetæ conſilium de coërcenda lingua, à prudenti animo & ſapienti profectum, & illius deliberatio pietatis & vtilitatis plena, cum inquit.

Dixi, cuſtodiam viasmeas, vt non delinquam in lingua mea. *Præſertim ſi attendas quæ apud eundem Iacobum habentur, de eis incendijs quæ lingua ſolet excitare. Lingua inquit flamma ignis eſt, quæ incendit rotam natiuitatis noſtræ. Eſt autem rota natiuitatis, totus vitæ decurſus, ab exortu*

vsque ad ſupremum halitū, qui quoniam initijs, medijs, fineque constat, eleganter ab apostolo rota natiuitatis appellatur. Sola itaque lingua poſſet ignem inferre, & faces ſubijcere, totiuſque vitæ rationem incendio abſumere. Quo circa, neminem aut ſanctiorem aut integriorem iudicabat apoſtolus eo: qui linguam rationis imperio cóércuiſſet. Qui non offenderit

nota

„ in verbo, inquit, hic perfectus eſt vir.
„ Erit itaque ſummæ integritatis & innocentiæ indicium: linguæ moderatio. Sed & illud ad rem cautiores multo nos efficere debeat, quód lingua beſtias omnes, tum nantes, tum gradientes, volucres præterea & ſerpẽtes, immanitate & feritate vincit

apostoli testimonio, id quod rerum vsus experimentumque docet. Omnis natura bestiarum, inquit, & volucrum & serpentum domitæ sunt, & domantur à natura humana: linguam autem nullus hominum domare potuit. Mansuescunt tygrides vt Plinius refer. lib. 8. cap. 17. Aquilæ præterea, cæteræque volucres: quæ alienis pascuntur carnibus cicures fiunt. Mansuescunt belluæ marinæ, vt delphinus eodem Plinio autore. lib. 9. ca. 8.
Lingua autem humana mansuescit nunquam, vt pote quæ sit malum inquietum, plenum veneno mortifero. Duplici ergo malo laborat membrũ hoc, feritate incoërcibili, & veneno læthali, id est, detractione & contu

meliјs, ſeminario diſcordiarũ. Nam quæ regio tam algida, etiam ſub ipſo frigidiſsimo Bóotis ſydere collocata, quam non incendere queat turpiſsima obtrectatorum lingua? Quantũ incendij, quantùm veneni, quas clades, mortalibus ab orbe condito attulit lingua maledica? Quantum palpo, quantum ſimulator, quantũ mendax, doloſus, falſus, periurus, non eſt vlla orbis plaga quæ id ignoret. Legimus quæſtionem illam, iam olim veteres ſapientes attuliſſe, quã ob cauſam videlicet, quarundam gentium vſus obtinuerit, vt pecudum linguæ Deorum honori tribuerentur, ipſisque ſacrificijs abſumerentur igne. Id quod Homerus inſinuaſſe videtur, cũ

nota

dixit,

dixit, γλώσσας δ᾽ ἐν πυρὶ βάλλον. *Ego sanè id factum crediderim, tum quòd lingua reliquis mēbris bonitate præstet, optimaque Deo reddere par sit, tum quòd inter cætera totius corporis membra potentiori igne & validiori, nempe diuino, excoquendum sit, & expurgādum membrum hoc: & in diuinos vsus totum trasferendum: ne nobis aliquando pestem afferat & perniciem: id quod maxime sit pertimescendū, exēplo vatis dicentis,* Dixi, *custodiam vias meas, vt nō delinquā in lingua mea.*

Linguas in ignem conijciebāt.

❧ Polui ori meo cuſtodiam, cum conſiſteret peccator aduerſum me.

DIfficilè ſe cohibere poterat homo ſanctiſsimus incredibili doloris vi exagitatus. Ob eamque rem, quò maior erat acerbitas ægritudinis, & ex impiorũ fœlicitate atq; petulãtia nata moleſtia, & offenſio maior, ãpliorẽ adhibet cautionẽ, & prouiſionẽ à ratione ſuſceptã. Hebræa enim ſic videntur ſonare, non quaſi firmam tantum ori cuſtodiã appoſuerit, ſed quaſi fiſcella ſe capiſtrauerit. Et à quibuſdã locus ita explicatur. Cuſtodiam os me um fiſcella. Nam dictio מַחְסוֹם: *fiſcellam ſignificat, funiculis vimini-*

viminibúsue cõtextam, qua boũ ora, faciesque iumentorum capiſtrantur, autore Plin. lib.18. Id autem Deuter.25. magna cautione dominus fieri prohibuit, cumboues triturarent. לֹא תַחְסֹם שׁוֹר בְּדִישׁוֹ, *hoc eſt, ne capiſtres fiſcella bouem dum triturat. Quod autem dixit. Dum conſiſteret peccator aduerſum me: vel de inſigni aliquo peccatore & flagitioſo homine dictum arbitror, vel pro numero multitudinis ſingulare poſuit. Igitur luctabatur vir ſanctus cum graui ac diutino morbo, cuius uis diu collecta & inueterata, ſatis per ſe illius animum torquere poterat: et quocunq; cepiſſet flectere: vt in voces indignas erumperet. Eam tamen*

grauiorem multò, atque periculosiorem conflictationem arbitrabatur: quæ cum hominibus sceleratis & improbis sibi proposita erat. Tẽtat.n. Deus Opti. Maxi. filios quos vnicè diligit: multis varijsq; modis, malorũq; põderibus examinare solet: spectans an in vllã partẽ moueãtur. Tẽtat inquàm morbis, egestate, exilio, cruciatibus. Sed illa dimicatio & contentio, quæ ab impiorum studijs & improbitate nascitur, acerbitatis & offensionis habet plurimum. Præsertim cum filios Dei maledictis incessunt: & ficta calũniandi occasione in illorum grassantur innocẽtiã. Quo circa, fortiss. militib⁹ & strenuis hoc tẽtationis genus postremo semper

Grauissimũ tentationis genus.

per loco adhibet, qđ omniũ videatur grauißimũ. Exẽplo ſit nobis ſanctus Iob, qui & filiorum amißionẽ, et fortunarũ et ſalutis iacturã, tãta animi elatione tulit: vt nihil aliud illius ore ꝓdierit, q̃ pauca illa verba: quorum neq; poſteritas quidẽ omniũ ſeculorũ immemor erit. Dñs dedit, dñs abſtulit, ſicut dño placuit ita factũ eſt, ſit nomẽ dñi benedctũ. Sedebat in ſterquilinio: teſta radebat ſaniẽ: totũ corpus vermib⁹ ſcaturire videbat: nihil tñ ſanctißimo ore extulit: qđ indiciũ præberet hoĩs aut indignati, aut commoti. Cũ ergo iã oĩa malorũ gñra in vno hoĩe penè fuißẽt cõsũpta: eaq; erecto aĩo et excelſo tuliſſet: accedẽtib⁹ amicis vt aſlictã, miſerã et iactatã illius

Inſigne exemplũ patiẽtię.

illius fortunam communi dolore prosequerētur: contumelijs afficere cœperunt eum: cuius molestiam & acerbitatem blandioribus verbis leuare debuissent. Arbitrabātur enim sāctißimum virum dignas suis sceleribus pœnas dedisse. Hæc cum intelligeret sanctus Iob, multa sanè dixit, quemadmodū refert historia sacra, quæ animi videntur esse impotentis, & Dei iudicia non adeò dignè ferentis. Nam maledicere diei quo editus esset in lucem: noctemque qua fuisset conceptus: detestari vitam tam præstabile dei donum: & innumera huius generis: hominis sanè videatur vt cūque commoti & cōcitati. Vnde & sanctorum patrum sententia

extat (Gregorij præsertim.32.moral. cuius sententiam, alio properantes, neque explicamus neq; excutimus) non satis bene de diuino flagello & castigatione iudicauisse: cũ se tot ma lis aflictum, & contumelia tandem & probro amicorum affici videret. Inseruit nempe nobis omnium parẽs natura vehementiorem quandã appetitionem, & nominis, & famæ, et propriæ dignitatis tuendæ. Nec aliud est inter humana bona quod à nobis vel maiori habeatur estimatione: vel pro quo tuendo libentiùs & vitam & animam profundamus. Atque ita fit, vt tamétsi tentationem illam grauem iudicemus, quæ fortunas impetit, aut salutem corporis inuadit:

uadit: illam tamem grauißimam censeamus, quæ famam & æstimationem, & optimis operibus quæsitam dignitatem lædit. Tantoque maiora huius tentationis vis accipit incrementa: quantò pius animus magis est ab omni scelere & peccati cõscientia alienus. Igitur filij Dei qui in hoc seculo aduersa multa patiuntur & æquo animo ferunt quæcunque incidunt incommoda: in omni alia fortunæ conflictatione propriam animi celsitudinem satis declarant. Vnum tamen est, quod illos grauiter premat & vexet: quòd impios & nefarios vident propriam ipsorum dignitatem & æstimationem, contra omne ius fasque, dilacerare.

rare. Maturo itaque consilio Regius propheta cùm grauiori tantum ægritudine diuexeretur, & custodiebat vias: & linguã cohibebat. Cum autem improbus & peccator vrgeret incesseretque maledictis, non tantùm linguam cohibet, sed & sanctissimum os fiscella capistrat. Vt vehementiori procella ingrunte, præsentissimum etiam atque efficacissimum adhiberet remedium. Hæc enim fuit vetus dei consuetudo à primis iam inde ducta temporibus, vt quos ab initio elegisset haberetque charissimos, sciretque omni fortuna esse maiores, eo tẽtationis genere examinaret, qđ ab improbitate & petulãtia impiorũ hominũ nasceretur. Vix compe-

comperias ab orbe condito iustum aliquem, qui non impiorum hominũ & sceleratorum fuerit improbitate exagitàtus. Nullus vt arbitror ignorat quid referat historia sacra de sancto Abel, Noe, Loth, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph. (quorum fuit spectata virtus & diu cognita). Quid præterea de sancto Dauide: qui omni ferè malorũ genere à pietatis hostibus & inimicis fuit affectus. Quorum si mẽtes fuissent angustæ & humiles, nec diuinæ gratiæ præsidium illis adfuisset, tantum malorum pondus ferre haud potuissent. Sed inter tam vberem exemplorum segetem, illud instituto nostro videtur accommodatissimũ: quod de Ioanne Bapt. christi

christi euangelium commemorat, ille ſpiritu prophetiæ inter ipſa viſcera materna plenus antequam naſceretur: innocens & ſanctus & amicus ſponſi: ille quo inter natos mulierum maior nemo ſurrexit: non habuit fortunas, quas nefarius prędo diriperet: liberos non genuit, quos tyrãnus aut carnifex trucidaret: fuit tamẽ illius animus (tametſi innocentiæ & integritatis plenus) nefariorum ſcelere et improbitate tẽtatus. Atque hoc calamitatis genus, & grauiter illũ vexauit: & in funeſtam mortem coniecit. Vir enim tantoperè à Deo dilectus, vir inquàm tanta ſeueritate & maieſtate, in carcerem mittitur tanquam publicus graſſator: puellæ im-

pudicæ & petulanti obtruncandus traditur: & denique pro risu turpium moritur. Conqueritur sæpe Paulus apostolus impeti se & affici falsorum fratrum contumelijs, qui illius libertatem, quam habebat in christo Iesu, impia curiositate explorarent: vt accepta nocendi & calumniandi occasiõe, illius famã dignitatemque læderent. Nec deerant qui cũ Romæ propter gloriam christi Iesu in carcerẽ coniectus vinculis teneretur innexus, gentibus suaderent, impium eũ esse & flagitiosum: qui tantis calamitatum fluctibus iactaretur. Nam cũ sit Deus iustus piorumque hominũ protector atque defensor: dicebãt illi qui fieri posset: vt ad carceres, et vin

cula & flagra Paulus descenderet? Sanè si neq; ab officio neq; à religione declinasset ille, nunquã, in hæc incommoda & ærũnas incidisset, Deo id prohibente, qui istiusmodi mala ab electis & charißimis propulsare solet, & omnẽ rationẽ pietatis & innocentiæ tueri. Huc spectãt verba illa Paulina, quæ ad Ephesios cõscripsit: vt sinistrã de se suspitionem amoueret: Ne deficiatis in vinculis meis: quæ est gloria vestra. Et illud prætereà quòd libenter ille solet inculcare: Ego Paulus vinctus in Dño &c. Tribus autẽ ex causis, quantum ego ingenio cõsequi possum, grauißimum sit censendum hoc tentationis genus. Tum quòd natura inserta sit nobis

vehementior quędam appetito tuendi nominis & asserendæ dignitatis, de qua re copiosiùs multo à nobis in superioribus fuit disputatum. Tum prætereà, quòd quæcũque aduersum homines iustos à Deo inferũtur supplicia, vt morbus, egestas, exilium, cùm à diuina prouidentia proficiscatur, cuius iudicia sancti homines iustissima esse probè tenent, (tamétsi illorum arcanas rationes ignorent) cohibent seipsos & reprimũt, ne quidpiam fortasse efficiat, quod cum summa vitæ integritate & innocẽtia nõ consentiat. Cum autem improbus & peccator iustum lacessit, & aperta cõtumelia petit, aut alio grauiori incommodo afficit, difficilè quidem sit

eam

eam animi adhibere moderationem, quæ integro viro & innocenti necessaria est. Cum certò sciat, se ab iniusto homine & impio iniustè pati. Atque huius rei recordatio sancto Abacuch suorum oraculorum. 1. capit. lugubrem lamentationem, fletumque mœrentem, & singultus mouebat, et veluti lacrymas excuciebat, cum diceret: Vsquequo domine clamabo, et non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non saluabis? Quare ostendisti mihi iniquitatẽ & laborem? Videre prædam, & iniustitiam contra me? Et fuit qui litem & contentionem ferret. Propter hoc lacerata est lex, & non peruenit vsque ad finẽ iudicium. Quia impius præualet

aduersus iustum. Propterea egreditur iudiciũ peruersum, Postremo tandem cum innocens ab impio patitur quidpiam, nõ se, cum Deo componit: neque animi innocentiam & integritatem cum diuina bonitate confert: sed cum improbitate & petulantia scelerati hominis atque nefarij. Quo fit, vt agnita interdum propria iusticia & innocentia, tum impietate & improbitate aduersariorũ, nullo grauiore crimine propriã conscientiam incusante, vix æquo animo ferat ab homine flagitijs cooperto tam indigna se pati. Itaque cum exploratã haberet regius propheta grauiorem huius tentationis vim, & humani animi in peccatum propẽsionem, & lin-

quæ prætereà lubricitatem, instante improbo & vrgente, capistro siue fiscella os fauces que præcludebat: ne quidpiam fortasse aduersus diuinas leges temerè & imprudẽter diceret.

Obmutui & humilatus sum & silui à bonis, & dolor meus renouatus est.

Concaluit cor meum intra me: & in meditatione mea exardescet ignis.

L*INGVAM vir sanctißimus hactenus cohibuerat: ne vel leuiori aliquo verbo Dei bonitatẽ offenderet: vel impijs maius oditum & maleuolentiã excitaret. Iam*

vero

vero præsenti carmine vt profundũ silentium aliis exageraret verbis, totamque amplificaret orationem inquit. Obmutui & humiliatus sum & silui à bonis & cet. Quasi dicat. Coegit me sceleris & peccati timor, & ardentissima erga Deum dilectio obmutescere. Neque tantum lingua conticuit, sed & obtorpuit quodám modo: cum me tam pertinaci silẽtio cohibuissem. Illud autem quod sequitur. Et humiliatus sum, ꝓpriũ est ac peculiare magnis & egregiis viris: quos scriptura sancta filios dei appellat. Qui & diuinas leges expugnare, & parentis cœlestis vel mandata soluere, vel imperia contemnere vehementer reformidant. Humiliari au-

tem præsenti carmine, non eius virtutis est quam græci ταπεινοφροσύνην appellant, latini humilitatem, siue sensum rerum humilium, hoc est voluntatem & animum circa exigua & spreta. Arcanæ literæ & humiliãdi verbo, & humilitatis voce frequẽter vtuntur: pro eo quod est, abijcere deprimere, atque in nihilum redigere. Sic enim Deute. 21. Mulieris humiliatio ad libellũ repudij pertinet. Et christiani homines in plærisque scripturæ locis, pauperes, aflicti, & humiliati vocãtur. Est ergo humilitas contempta nulliusque respectus, depressa, abiectaque res vel cõditio. Quod genus sunt inopes, languidi, esurientes, sitientes, carceribus inclusi,

Quid humilitas ĩ sacris literis.

tribulationibus obnoxij. Qualis erat Iob, cũ uarijs afflictionibus, multisque tentationum ponderibus examinaretur. Talis fuit Dauid à regno eiectus & propulsatus. Christus prętereà, cum vniuerso christianorũ cœtu, inter angustias innumerasq; calamitates. Magnus ille Basilius in ps. 31. exponens illud. Prope est dñs ijs qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit, inquit. Humilis est qui nihil habet fastus: nihil in rebus superbiæ aut cupiditatis. Hæc igitur animi contractio & abiectio, & tã quam horror quidã qui piorum mẽtes ocupat, ex ardenti charitate nascitur: qua Deũ ꝓsequũtur. Fit enim necessitate quadam: vt quò vehemen

tius,

tiùs amant, impensius timeant. Homo itaque sanctissimus quò mẽtis habitum magis exprimeret, & interioris hominis affectus explicaret apertiùs, dixit: Humiliatus sum, Hispanè, amilaneme, acouardeme, encogime. quasi dicat, Vehementiùs me ipsum cõpressi, & animũ & linguam cohibui: ne forsam lingua soluta nouo aliquo scelere, parentis summi indignationẽ & maleuolentiã in me cõcitarem. Adeò huius rei, retinẽdæ linguæ scilicet, cupiditate, inflammatus sum & incensus, vt à bonis etiã silerem, quod magis sit demirandũ. Nã tanta solertia linguam custodire, & tanquam fiscella, vt diximus, coërcere, non tãtum habet admirationis.

Poterat

Poterat quidem facilè labi, vt est mẽbrum fragile & lubricum, tum propter grauitatem morbi, tum propter impiorum petulantiam. Nunc verò à bonis silere, nonnihil videtur sceleris & flagitij habere admixtũ. Nã quo pacto, vitio poßit carere silentiũ quo bona prætermittuntur? Nemo ambigat hoc esse præcipuum humanæ linguæ munus: in eamq́ue rem ab artifice rerum hominibus tributam: vt quæ sint optima, quæ cum aliorũ vtilitate coniuncta, & quæ ad diuinos honores maximè pertinere videãtur, hæc loquatur. Nam si taciturnitas ipsa omni semper vitio careret, nunquam propheta Esaias cap. 6. intempestiuum silentium tanto eiulatu

prose-

prosequeretur, dicens: Væ mihi quia tacui. Quis ergo æquo animo ferat: à bonis silere filios Dei? Si qui integritate vitæ cæteris præstant pertinaciter silent à bonis, quid verò de improbis sperandum sit? Omne tempus me hercle mutum à nobis ducent: nullamque de vera pietate vocem emittent: & silens tandem iacebit omnis officij & religionis ratio. Sunt qui velint prophetica verba hanc habere sententiam (nam poßit hic locus in multos ac varios sensus trahi) vt factus David à bonis siluerit: nusquam egregia opera aut recte facta commemorando. Potuisset quidem, paulò altiùs exordio repetito, veterem recte factorum memoriam refricare, tum ad leuandam Tacuisse pœnituit

uandam morbi acerbitatem, tum ad depellendam impiorum hominum calumniam: qui de illius innocentia & integritate sinistrè iudicabant. Itaq; silet à bonis: nam spacia præteriti tẽporis mens prophetica non respiciebat: neque pueritiæ memoriam vltimam recordabatur: inde quasi repetens totam vitæ rationẽ, in hunc modum. Ego primum ætatis tempus, primasque vitæ actiones & viuendi tyrocinium, innocenter transegi. Cum autem ex pueris excessi, omnem dedi operam, vt ad diuinas leges & mandata totam vitæ rationem exigerem. Ego, occisso Philistæo portentosæ magnitudinis, populum Dei aliquãdo defendi: igno-

miniæque notam ab eo depuli. Ego, pro patria, pro religione, mille pericula, laboresque ſubiui libens, non ſine graui periculo, ſummoque vitæ diſpendio. Ea interim beneficia ſciens prætermitto, quæ non tantum in amicos & chariſſimos, ſed etiam in acerrimum hoſtem contuli. Humanis quibuſdam vitijs me aliquando reſperſi: libenter fateor. Veruntamen contractas per peccatum ſordes lacrymis, & ſingultibus, oratione et ieiunio, alijsque pietatis operibus abſterſi. Vt quid igitur ꝙ erga alios patrẽ ſe indulgẽtiſſimũ declarat, ſeuerũ et acerbũ iudicẽ mecũ agit? Aut ꝙ fieri poteſt vt ſcelera et flagitia altiori mẽte reponat, recte aũt factorũ nullã videa-

videatur habere rationem? At si quæ feci bona memoria complectitur, cur doloribus & cruciatibus, & impiorum hominum improbitati & petulantiæ me permittit? Itaque cũ potuisset propheta, longa altéque repetita oratione, quæ strictius diximus fusius commemorare, noluit tamen: ne fortasse videretur, aut gloriã ex proprijs operibus quærere, aut diuinam prouidentiam iniusticiæ & sceleris insimulare. Poßit quidem huius sententiæ, quæ est multorũ opinione posita, probabilis reddi ratio. Vetus enim sub institutis Mosaicis consuetudo obtinuit: vt homines, quorũ fuisset spectata probitas, vitaque innocenter acta, cum aduersa, misera, & afflicta

afflicta fortuna agitarentur, expostularent cum Deo pro benefactis. Quarto regum ca.3. Rex Ezechias cum iam esset morti uicinus, graui ac diutino morbo vexatus ac penè absumptus, recte factorum conscientia factus audatior: in hunc modum inquit. Obsecro domine. Memento quæso quomodo ambulauerim corā te in veritate & corde perfecto: & quod placitum est corā te, fecerim. Et Neemias propheta, Memēto mei domine secundum omnia bona quæ feci populo huic. Sed & idē Regius vates, summam animi lenitatem & mansuetudinem, qua vna virtute inter cæteras excelluit, iactabat quodammodo cum dixit. Memento do-

mine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Potuit quidẽ Ezechias suis temporibus, vt quibusdam videtur, tale quidpiam commemorare, ex cõscientia sanctè administrati imperij. Nam & populares homines restituerat legibus Mosaicis: & diuinum cultum totamque rationẽ veteris religionis mirum in modũ prouexerat. Id autem quod orabat, temporarium erat beneficium, vita scilicet longior: et eius prorogandæ legitima causa. Orbus quidem erat, quod historia quarti reg. prodit, & viuens annos quindecim à morbo, filium Manaßem hæredem regni reliquit, natũ annos duodecĩ. Magnæ autẽ curæ illi erat, ne regis Dauid posteritas, cui fœlices

illæ

illæ fuerant promißiones in ipſo de ficeret. Chriſtianis non eadem ratio propoſita eſt. Quorum promißiones cæleſtes ſunt & æternæ, in quas nullum ius ſit naturæ corporeæ & continuo intermorienti. Vnde & Chriſtus apud Lucam. Quis autem veſtrum habens ſeruum arantem aut paſcentem, qui regreſſo ab agro dicat ſtatim, tranſi & accũbe, ac non potius dicat illi, para quod cœnem: ac præcinge te, ac miniſtra mihi donec edero &ce. Num graciam habebit ſeruo illi quia fecit quæ imperata fuerant? Non puto. Sic & vos cũ feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis dicite. Serui inutiles ſum⁹, q̃d debuimus facere fecim⁹. Sed mag

na est ijs temporibus adhibenda prouisio, ne fortasse hæretici honesto ac probabili nomine, errorem nobis obijciant. Alia quidem est de recte factis temeraria præsumptio: quæ propria opera iactanter cõmemorat: & hæc quidem pharisæorum est, & eorum quos scriptura פֹּעֲלֵי אָוֶן *idest, operarios iniquitatis appellat. Quos ego non tantum crassos illos peccatores existimem, qui aut adulterijs, aut parricidijs, cæterisq; grauioribus flagitijs se addixère: sed & eos omnes, qui totam christianam vitám mercedem & quæstum arbitrantur: & tanquam vili precio conducti, supremam fœlicitatem emolumento metiuntur. Cæterum sancti viri suorum*

benefactorum memoriã repetunt interdum: quód eorum commemoratio diuinæ gratiæ, & profussæ illius bonitatis sit cõmẽdatio quædam: quæ fiduciam in animis sanctorum gignit accedendi ad Deũ. Secunda ad Thimoteum, 4. Paulum exultantem legimus: & quasi triumphos agentem. Sancta enim operum fiducia audacior factus, inquit. Bonum certamen certaui, cursum cõsumaui, fidem seruaui, de reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex. Quãuis ergo superiorem illam sentenciã de pertinaci à bonis silentio tanquã inanem & leuem reijciant quidam, (quòd regis dignitatem & integrita

tem & innocentiam non satis videatur tueri) magnam tamen in se habere videtur verisimilitudinem. Alijs fortasse probabitur alter huius loci sensus: qui partim à linguæ lubricitate, partim ab animi bene cõpositi sancta formidine ducitur. A bonis itaque silet sanctus propheta: quòd de de nulla re, nec bona quidem, loqueretur: ne ab optimis loquendi initijs, ad graues fortasse & indignas querelas prolaberetur. Quis enim ignorat eam esse humanæ linguæ lubricitatem, vt tametsi orationis initio sanctè circunspectèque loquatur, ipso tamen loquendi decursu, nec modum aliquem seruet, neque à diuinis interdum abstineat contumelijs, neq; ab

Acerbũ vindictæ genus.

ab iniuria proximorum cesset? Adeò quidem præcipites sunt illius motus, vt rarò cõtingat eam moueri sine casu aliquo et ,plapsione. Sint nobis exẽplo amici sancti Iob, qui, vt refert historia sacra, tãta fuerũt animi pietate in hominem sibi amicissimum: vt cũ primò infœlicitatis, & afflictæ fortunę sanctissimi viri fama ꝑcrebuisset, & ad illorũ peruenisset aures, venerint singuli de locis suis: non dubito quin vt omnia beneuola officia et diligentẽ cultũ amico tribuerẽt, et blãdioribus verbis afflictũ consolarentur. Cumq; leuassent procul oculos, neq; hominẽ agnouissent (adeo illius faciẽ totũq; corporis habitum aduersa fortuna mutauerat) exclaman-

tes profusſis lacrymis, magnam dolo ris ſignificationem dedêre: & amici incommodum deplorarũt. Sciſsis deinde veſtibus, conſperſisque puluere verticibus, patrio ritu, ſeptem diebus ſeptemque noctibus, cum ſancto viro humi ſederunt. Grauiſsimus tamen & intolerabilis amici dolor ita illorum fauces præcluſit: vt omnẽ facultatem loquendi illis ademerit: & ad tantam amici iacentis atque proſtrati miſeriam & afflictionẽ prorſum linguæ torperẽt. Inſigne profecto pietatis opus erat: vt qui amici corpus intuebantur plenũ vlceribus, & vermiũ morſib⁹ laniatũ atq; cõſumptũ, veſtes etiã ipſi dilacerarẽt: et qui illũ ſedẽtẽ in ſterquilinio viderẽt: ipſi etiã

verti-

verticespuluere fœdarẽt. Sed illud ra
rę cuiusdã amicitiæ indiciũ fuit, qđ
cùm amico propter doloris acerbita-
tem verba defuisse intelligerẽt, neq;
ipsi vocem vllam præ dolore emittere
potuerunt. Tempestiuum sanè silen
tium, & summa cum pietate & pru
dentia, consilioq; susceptum. Sed po-
stquam soluto silentio loqui cæpe-
runt, ea pietatis opera egregia quidẽ
atque præclara, quæ anteà fecissent,
verbis & oratione fœdarunt. Mul-
ta enim historia sacra repræhẽdit a-
cerrimè eorum quæ in sanctum virũ
ij homines, nefarie & impudẽter cõ
iecêre. Præcipiti proinde sermone &
temerario linguæ motu, quæ summa
cum laude fecerant, vt patriam dese

rere, puluere conspergere capita, in terra sedere cum afflicto, subito amisêre. Satius præterea fuisset pharisæo illi euangelico à bonis cũ sancto propheta silere, quàm egregia pietatis opera quæ fecerat, apud Deum in tẽplo inuerecunde commemorare. Et quidem si ea tantum longa repeteret oratione quæ gessisset pietatis opera, omnium bonorum autori gratias habendo, esset vt cunque ferendum. Sed ab optimis initijs, nempe à gratiarũ actione, & grata recordatione diuinorum beneficiorum, in apertam proximi contumeliam labitur, dicẽs. Non sum sicut cæteri hominum: raptores, adulteri, velut etiam et hic publicanus. Iacobus apostolus cano

nicæ

nicæ epistolæ cap.3. quo loco de coërcenda lingua, multa sanctæ, piè, atq; eruditè disseruit: sic inquit. In ipsa benedicimus Deum & patrem: in ipsa maledicimus homines: qui ad imaginem & similitudinē Dei facti sunt. Et ex ipso ore procedit benedictio et maledictio. Creauit quidem artifex rerum Deus linguam, quemadmodum cætera omnia quæ finxit, in optimos atque excellētes vsus. Sed tanta est humanæ linguæ lubricitas atque temeritas, vt à diuinis laudibus, ad proximorum conuicia feratur: & à benedictione, hoc est, à præconio diuinæ bonitatis, ad congerendum maledicta, & proximi dignitatem lædēdam interdum pro labatur.

Prudenti itaque consilio sanctus vates, cæterique omnes qui filij Dei appellantur & sunt, pertinaci silentio optimis etiam in rebus, mobile & inquietum membrum coërcent. Habẽt enim illius naturam exploratissimam. Nam cũ in lubrico versetur, fit aliquando vt à bonis & optimis sanctaque & circunspecta oratione in cõtumelias proximi et impias cõditoris labatur blasphemias. Tum prę tereà & à bonis silet sanct⁹ Dauid, hoc est, ab increpatione temperat improborum hominum: qui illum maledictis & conuicijs lacesserent. Nam bona fortasse appellat quęcunque ad rectè viuendum præcepta, & cohortationes. Accidit autem frequenter,

que-

quemadmodum rerum vſus ſatis probare videtur, vt pietatis doctrina nihil proficiat, cum improborum impietas vires collegit & robur. Ob eamq; rem ſatius videtur interdum tacere, quam docere: & pietatis omnia gubernacula abijcere, quam multorum excitare maleuolentiam. Atque ita ſancti Dei homines ſæpe ab officio docendi conquieſcunt, cum ſe nihil proficere vident. Fuit iam olim à ſanctis patribus multis voluminibus declaratum, fraternam correctionem adhibendam, ſed ijs tãtum qui poßint & velint curari. Nam vt homini mortuo, aut ad mortem ægrotãti ſtultum ſit artis medicæ adhibere remedia: ita etiã & ijs, qui, cùm multis

tis & grauissimis animorum ægritudinibus teneantur, curari renuunt, & cælestem aspernantur doctrinã, & pro oblato pietatis officio, nomen & dignitatem nostram lædunt. Sic Christus R. N. fratrem corripere iubet: sed tempestiuè & adhibito delectu, idest, tum maxime cum aliqua elucet spes reuocandi proximũ ad melioris vitæ frugem. Si te audierit, inquit, lucratus es fratrem tuum. Quid vero si me non audierit? Quid si pro suscepto pietatis opere, inuidiã tantùm mihi conflauero? Silendum vtique à bonis erit. Nam sublato legis fine, & illius fœlici exitu, & legis ipsa obligatio quodammodo submouetur: illis in rebus maxime, quæ
ad

ad singulare cuiusque nostrum & priuatum bonum pertinere dignoscuntur. Itaque postulat diuina iusticia, id etiam interdũ exigit impiorũ hominum petulantia & procacitatis morbus, vt homines sanctitate vitæ & doctrina præstantes, à bonis sileãt: cessentq; ab officio instruendi et erudiẽdi. Vt.n. multis alijs rationib⁹ De⁹ ab improbis suplicia sumat, illa tamẽ est in arcanis literis tãquã summa vindictæ ratio expressa, vt qui cæteros ad diuiniorem vitam colendam docere possunt & instituere, à bonis sileant, linguam coërceãt, doctrinam denique pietatis prorsus occultent. Nemo qui sanctorum prophetarũ lectione, vel mediocriter

Lubricitas lĩguæ

fuerit

fuerit instructus, ignorat, sacros vates inter grauissimas diuinæ vltionis partes, illam præcipue cõnumerare, de qua & sanctus Dauid præsenti carmine edisserit, nempe vt sancti homines sileant à bonis, infestetque peccatores & stultum vulgus fames & sitis vrgentissima audiendi verbum Dei. Est quidem Deus Opti. Ma. adeò nostræ salutis cupidus: vt sanctorum animos ad prædicandum verbum frequenter excitet. Et tamen cũ iniurias sibi illatas vlciscitur, illorũ comprimit linguas, & fauces præcludit. Sanctus propheta Amos ca. 8. populi israelitici sceleribus expositis, silentio & taciturnitate illius plectit stulticiam & dementiam. Id quod aposto-

apoſtolos etiam feciſſe Act. cap. 13. legimus. Chriſtus M. V. nouam legem quã ſecum è cœlis detulerat, ingẽti omnium admiratione, apud populares, ſuos affines & notos propria in patria prædicabat: & tamen hoc tãtum beneficium, ſtultis & dementibus erat offendiculo. Sic habet Mathæus cap. 13. Et offendebantur in eo. Statimq; ſubiecit. Et nõ fecit ibi virtutes multas: propter incredulitatem illorũ. Subtraxit enim miracula & verbi prædicationem, & tandem à bonis tempeſtiue ſiluit, cum ſancto patriarcha Dauid. Silẽt poſtremo ſancti homines, quòd exploratum habeant vndecunq; ſparſos ſycophantas & nefarios Corycæos qui illo-

rum, vt Paulus dixit. velint explorare libertatē. Magno enim conatu & studio obseruant, nunquid sanctis hominibus quidpiam non recte dictum excidat. Vt quidem olim Corycæi, per Asiæ portus intersperſi, quid rerum, mercatores ferrent, quóue nauigarent subauscultabant, & insidias illis inter saxa ocultioráque loca moliebantur, adoriebanturq́ue egressos portu, & bona illorum diripiebant: sic etiam, proh dolor, à nonnullis in intimis ciuitatum, templorumq; visceribus, interdum fieri videmus. Hi enim amicitiæ necessitudinisq; prætextu, aut alio honestiori habitu, subauscultare solent: si quidpiam per negligentiam aut incuriam, bonis viris

exci-

excidat, ſtatimq; in illorum innocen tiam graſſantur, & ad principes & magiſtratus deferunt: quæ illi ne cogitarunt quidem. Cum Chriſtus Ieſus Apoſtolos, quos vnicè diligebat, ad promulgandum euangelium mitteret, & ſynceritatem columbæ, & ſerpentis prudentiam, illis magnopere commendauit. Nam quemadmodum columbinæ ſynceritatis eſt, euãgelium ſine inuidia cæteris annũciare opportunè: ita & ad prudentiam ſerpẽtis ſpectat tempeſtiuè tacere, & ſilere à bonis. Nam ſolet hoc prudentiæ genus, impios homines de ſpe conatuque depellere: & illorum nefaria ſtudia vindicare. Itaque iſtorum hominum improbitatem, fraudes,

Delatorũ pernicioſum genus.

& insidias, sancti homines, quando alia ratione non datur, silentio fugiunt. Ergo cùm tam profundo silentio à querelis sanctus vir se cõtineret, incrudescebat dolor internus, totusque turbabatur vehementi quadam commotione & agitatione. Atque hæc est significatio huius verbi נעכר *sequẽti vero carmine id magis expreßit.* Incaluit cor meum intra me, *et in meditatione mea exardescet ignis. Ita enim nobis accidere solet, cum dolore affecti, & à querelis temperamus, & spiritum continemus. Spiritus enim cõtentus, vt Aristoteles autor est in problematis, sectione. 27. calefacit doloris incitabula, contracto introrsus calore, quo potißimum vis*

doloris

doloris intenditur. Dum itaq; ſe continerct à quæſtibus, atque inde ſpiritum quoq; cohiberet, interna omnia excoquebantur tantò vehementiùs, quantò ſe vehementioribus dabat cogitationibus.

Loquutus ſum in lingua mea, notum fac mihi domine finem meum, & numerum dierum meorum quis eſt, vt ſciam quid deſit mihi.

PRior *huius carminis pars, longe diuerſa ratione ab Hebræis autoribus & Latinis exponitur. Hebræi enim arbitrantur, lingua loqui, idem*

esse quòd meditari, & linguæ appellatione, profundiores mentis cogitationes exprimi. Hoc argumento ducti, quòd arcanæ literæ, curã quandam & meditationem, linguæ videantur tribuere. Ob eam rem fortasse, quod nullum sit animo coniunctius membrum, & ad declarandos animi cogitatus accommodatius. Vel quòd Deus sit inspector & testis nostrarum cogitationum, non secus, atque si lingua depromerentur. Vnde & apud Hieremiam pupilla oculi clamare dicitur. Et Moses cum nullam emitteret vocem audit: quid clamas ad me? Atque eo tropo à sancto Dauid dictum arbitror. Tota die iniusticiam cogitauit

lingua

lingua tua. Igitur quoniam diuinis oculis omnia ſunt aperta & expoſita, quemadmodum cæteris membris locutio, ita etiam & linguæ tribuitur meditatio. Mihi autem rem conſideranti & expendenti, vero videtur ſimilius id quod Latini interpretes circa huius loci explanationẽ attulere. Ita vt lingua loqui, nõ per tropum, ſed iuxta proprietatem verborum ſit accipiendum. Exprimit itaque præſenti carmine vates, humanæ naturæ ingenium. Quiſque enim apud ſe experitur, dum ſæuiente dolore ſe compeſcit, & à querelis & vociferatione continet, internũ dolorẽ, propter adductas in ſuperiorib⁹ cauſas magna accipere incremẽta,

adeò vt in voces & clamores absonos erumpere compellat. Cohibuerat se Regius propheta diu, ac multum, in tanta afflictionum mole, & quidem numinis beneficio represserat linguã, ea tamẽ ratione, qua filius Dei erat, & spiritalis homo: qui quicquid in eo corporeum est crassum atque concretum, tum rationi, tum maxime diuinis legibus obtemperare cogit. Vt autem homo erat corporea mole circundatus, linguam in questus & lamentationes soluit, quasi nullus mœror dignus in tanta calamitate inueniri posset, Doloris tamen acerbitatem, summa cum moderatione & tẽperatione animi, apud iudicem Deũ exponit. Locutus sum in lingua

mea

mea, *notum fac mihi Domine, &c.* *Duplicem ergo illam imaginem interioris & exterioris hominis, veteris & noui, de qua frequens est apud Paulum mentio, in sancto propheta, cælestis spiritus nobis collustrandam animo & complectendam proponit. Ita Deus solet in sanctis hominibus, expressam filiorũ Dei imaginem nostris oculis obijcere: vt in illis facile possimus agnoscere erumpẽtes quasdam scintillas paternæ bonitatis. Nonnũquam vero humani ingenij, & imbecillitatis humanæ, certam effigiem: vt vtriusq; rei in sanctis hominibus accipiamus documenta. Sit nobis exemplo Petrus apostolus (lẽtius enim disputantur quæ sunt obscuriora sine ap-*

positione exemplorum.) Erat in Petro, nunc quidem, admirabilis animi constantia, nunc vero, leuitas incredibilis. Ita vt leuissimo tentationis flatu animum desponderet, & contraheret, proderetque fidem. Nunc Christi Iesu præceptis & monitis facile obtemperabat. Cum verò humanæ in se naturæ imaginem exprimeret, decretis se opponebat diuinis, tunc maxime cum Christus Hierosolymam ascenderet, acerbam mortem, & omnem suppliciorum vim nostræ dilectionis causa subiturus. Idem dixerim de sancto Iob, vt cæteros omittamus Apostolos. Idem de sancto propheta Dauid, in quo vno indicia magna & aperta liceat intueri

ri dignitatis atque præstantiæ filio-rum Dei: frequẽter etiam imaginem illam quæ sit certa veteris Adami re-cordatio. Itaque cũ linguam cõprime ret tanto studio, prior illa filiorum Dei imago oculis obiecta, nostras om nium quodammodo mentes animos-que pulsabat. Cum tandem in que-stus linguam soluit, & in clamorem & voces erumpit, prouocante gra-ui corporis dolore, expressam vete-ris hominis imaginem nobis obiecit contuendam. Notum, *inquit,* fac mihi Domine finem meum, *& numerum dierum meorum, quis est, &c. Verba sunt languen-tis animi, & præ nimio dolore, & acerbissimo grauioris ægritudinis*

sensu

ſenſu concitati quodammodo & cõmoti. Nam quod optat pater cœleſtis illi aperiat, quando ſibi è vita ſit excedendum, hominis eſt vehemẽtius exoptantis è miſeria iſta & infœlicitate demigrare. Frequenter etiam contingit, vt ſancti homines, plurimis incitati & prouocati cauſis & rationibus, finem vitæ præſtolẽtur. Partim humana miſeria, & malorum pondere, labentiũq; rerũ vanitate, Partim, diuino conſilio, & afflatu ſpiritus, in iſtiuſmodi appetitiones illorũ animos quodammodo conijciẽte & impellente. Vident enim nihil eſſe in vita iſta, quod verum afferat gaudiũ: omnia eſſe turbida, moleſta, aſpera, confuſſa. Obeamq́ue rem, ardentiùs orant,

Vitæ tediũ quib⁹ ex cauſis oriatur.

orant, liceat illis per Imperatorem aliquando è militia discedere. Postulant illis innotescat, quantum æui supersit, quantúmue temporis in miseria ista & exilio sit agendum. Neq; enim sancti, quemadmodum cæteri mortales, animo franguntur propter vitæ cupiditatem: quæ si manet, angoribus illos conficit: dimissa verò, omnibus molestijs liberat. Vehementer itaq; reformidant, in vita tam acerba, tam turpi commorari. Nam quid sit per Deũ immortalem in vita hac misera & calamitosa, quod sanctis velit, aut poßit, adferre præsidiũ, aut animi solatium vt illam summopere complectantur, & mortem tanquã miseram pertimescant? Sunt omnia,

si

ſi rectè animaduertamus pijs homini bus aduerſa, diuitiæ, opes, imperia, vitæ oblectamenta & voluptates, iniquæ etiam leges, & nefaria inſtituta. Sed finge. Sit in terris leue aliquod cõſolationis & præſidij genus. Illud ſanè, corpus fortaſſe iuuabit, craſsiorẽ & viliorem hominis partẽ: animum verò, vnde totus cenſetur homo, non ita. Quid ꝙ ea, quorum ſpecie mortales detinentur, & leuiorem aliquam conſolationẽ potuiſſent adferre, certiſsima ſunt humanæ infœlicitatis & miſeriæ argumenta. Nonne pulcherrimæ veſtes, & cultior ornatus frigoris algorisq́; incõmoda declarãt? Opes atq; diuitiæ, nonne de fame atq; ſiti, quib⁹, quaſi duabus peſtibus, per

totam

totã vitã infestamur, aperte testãtur? vtimur quidẽ frigidis: sed ad depellẽdos æstus. Calida frequenter adhibemus: sed ad propulsandũ frigus. Multa libens prætermitto, ne tædio fortasse Christianũ lectorẽ afficiã: de corporis salute, de mutuis amicitijs, de intestino & exitiali odio. Nascũtur proinde ab istarũ rerũ certa et exacta cognitiõe, piorũ animorũ voces illæ, postremi mœroris plenæ. Heu me, quia incolatus meus prolongatus est. Et iterum. Tædet animam meam vitæ meæ. &c. Sed & à diuino consilio & prouidentia nascuntur frequenter hæc sanctorum suspiria. Namque pater ille indulgentissimus, qui magno studio & diligentia piorum homi-

hominum negociјs per omnia consu-
lit, exterius flagellat & castigat, pre-
mit & vexat, vt cũ, ab ijs rebus quæ
videntur, nihil vnquam consolatio-
nis accipiant: ad ea quæ non viden-
tur sectanda & expetẽda excitet &
inflammet. Huius rei exemplũ opus
non fuerit in aliquo vno sanctorũ ho
minum perquirere: cùm tota diuina
scriptura innumeris sit exemplis dis-
ferta, eorum quibus in hac vita nihil
aut quàm minimum Deus concessit
dulce, tractabile, iucundum, cum ta-
men aduersa omnia semper experirẽ
tur. Edoctus igitur sanctus propheta
partim humana miseria & calami-
tate, partim diuina prouidentia &
consilio, & interioris spiritus inflatu
arden-

ardenter orat, Pater cœlestis sibi aperiat, quantum æui supersit. Vt ipsa spes finis & interitus, vitæq; melioris spectatio, dolores omnes, sibi ab improbis hominibus, siue manu paterna inflictos, si non leuare, saltem lenire possit. Vnum est postremò quod pios homines in hoc genus appetitionis impellat, quòd veritatẽ, dum in hoc mũdo versantur, ocultari nunquam patiantur, quemadmodum Act. 4. cap. & Psal. 116. & Math. 10. legimus. Mundus autem hic, quem fugere nisi morte & interitu non valẽt, veritatẽ ipsam ferre non potest: quin potius in bonos ac sanctos ita sæuit ac furit: vt omnem suppliciorum vim intentet, adeò vt piorum vita sit om-

nium longè miserrima: & præsentissimum aduersus tantam malorũ procellam remedium sit, ex hoc mundo eripi quàm citissimè. Nam quid facient piæ mentes? Aut veritatem euãgelij, certissimum religionis & pietatis præsidium, aduersum impios plena voce denotabunt, aut se continebunt, & verbi prædicationem cælabunt omnino. Si veritatem aduersus mundi stultitiam & vanitatem obiecerint, sequuntur illico cruces, & tormenta grauissima. Si verò, compressa lingua, perpetuo silẽtio sceleratorum hominum improbitatem ferendã duxerint: vehementiùs nihilominus excruciantur. Nihil enim pias mentes magis diuexat, quam euangelij veri-

tatem occultare. Illud etiam addam, sanctos homines finem vitæ interdũ præstolari: vt præmeditatam habẽtes diem mortis, cũ ipsa mortis imago illorum oculis obuersetur, de futuro iudicio & fœlicitate solliciti, non simul cum impijs ad securam impietatem prolabantur.

Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquã nihilum ante te.

SVperioris postulationis confirmatio est. Orabat superiori carmine dicens. Notum *fac mihi domine fi-*

nem meum. Quibus verbis, vt diximus, postulabat ex vita ista calamitosa & infœlici eripi quam citißime. Huius postulationis veluti causam reddit & rationem exponit dicens, Ecce mensurabiles *posuisti dies meos &c. Quæ sunt à nobis in hunc sensum accipienda. Si vitam mihi eripias, nihil sanè magnum aut præstabile substuleris. Talis enim est vita ista: vt in eam tanquam in vnam voraginem cœtus omniũ malorum excesserit. Nam si dies amputaberis: mẽsurabiles quidem sunt & breuißimi. Quicquid enim in mensuram aliquã cadit, breue sit & angustum necesse est. Denique si substantiam funditus deleueris, hoc est, totũ hoc quod sum*

in

in mortem & in nihilum conieceris, nullius penè rei iacturã fecero: præsertim si meæ naturæ exiguitatem & tenuitatem animaduertens, in amplitudinem & maiestatem tuæ naturæ mẽtis oculos extulero. Breue enim vitæ curriculum mihi præscripsisti: cum tu interim omnem excedas æternitatem. Dictio itaque טפח *mensurabile quidpiam significat. Et iudicio quorundã palmi mensura est. Aut quod aliis probatur, & mihi ad veritatem ipsam proxime videtur accedere, pugillus. Est enim* טפח *mensura, cuius in scripturis sacris frequenter fit mentio. Creditur autem media inter palmum, & spithamen, & semißis est, quia duplicatus assem, idest, pedis mẽ*

ſuram conficit: cuius dodrans ſpithamẽ eſt, quadrans palmus, illius autẽ longitudo, quãtum capit manus clauſa porrecto pollice per tranſuerſum. Breues denique & anguſtos citoq; deſituros dies noſtros hoc genus menſuræ ſignificat: vtpote tam modica re incluſos. Illud proinde quod ab antiquis de humanæ vitæ breuitate omnium penè iudicio ſapiẽter fuit animaduerſum: præſenti carmine diuinus philoſophus docet. Magnus me Hercle eius diſciplinæ doctor, quæ tota circa rationem vitæ mortisque verſatur. Eſt inquit hominis vita breuis & contracta: diesque modici adeò, vt pugillo, breui mẽſura, poſſint comprehẽdi. Et quod amplius ſit demiran

Breuitas humanæ vitæ.

mirandum, ſi cum æternitate diuinæ naturæ componantur nihil ſint. Nã quod veteres externæ ſapientiæ cultores dixere, nullam nos occupare & poſsidere temporis partẽ, præter illud nunc, *non ſatis diligenter, vt arbitror, ab illis fuit animaduerſum. Habet enim dictio illa tres in ipſo ictu literas, neque ad alterã peruenire poſſis non finita priori: neque tertia ſonabit vnquam, niſi & ſecunda ſuo curſu tranſierit. Vix ergo contractiorem illam temporis partẽ poſsidemus mortales, quam veteres philoſophi breuiſsima dictione exprimere cogitarunt. Labuntur enim humanæ vitæ dies procliuiùs multò, quàm literæ & enunciatæ ſyllabæ. Et momentis*

transuolantibus cuncta humana rapiuntur, instarq; torrẽtis rapidissimi fluunt. Abeunt dies nostri penè antequam veniant, neque consistere vllo pacto possũt cũ venerint, quẽadmodũ quidã elegãter dixit. Hæc cũ sanctus propheta intento animo secũ cogitaret, eam ipsam vitæ breuitatem, & sapienter & eleganter exposuit, inquiens. Ecce mensurabiles *posuisti dies meos. Iam vero illa, quæ de humanæ vitæ contractione prodidere nonnulli (per similem eam esse bestiolis quibusdam quæ teste Aristotele ad Hypanim Scythiæ fluuium nascuntur, neque ad perendinum diem vnquam perueniunt, quæ hac de causa dicãtur* ἐφημερίδες & ἡμερόβιαι) *nõdum*

Vnũ diẽ viuẽtes.

dum meo iudicio rei exiguitatem va nitatemq́; postremā adsequūtur. Verius propriusq́; eam sanctus propheta descripsit, cum humanæ vitæ dies pugillares, hoc est, breuißima inclusos mensura dixit. Tum verò maximè cùm inanitatē quandā, & quasi nihilum illos appellauit. Obseruatū à quibusdam inuenio: Hebręam vocem חדל *& substantiam significare (vt sit substantia non tantum opes siue facultates sed & vita, et quicquid in vita dulce est & expetendum) & præstolationem, siue spem rei cuiusq́;. Quorum sententia si nobis probetur, pertinet postrema hæc huius carminis pars, ad exaggerationem & amplificationem eorum, quæ de breuita-*

te & contractione humanæ vitæ, & vanitate prætereà rerum omnium perituraram, propheta dixerat. Substantia *mea, inquit, nihil est ante te,* idest, si totum æuum, vita, opes, deliciæ, integra salus, dignitas, honor, denique si totum id quod sum tecum cõferatur, proditur statim & quasi in lucem venit mea exiguitas & inanitas. Nam si de longa vitæ duratione agitur: dies mei, vt habet Psal. 101. *sicut vmbra declinauerunt, & ego sicut fœnum arui: tu autem, idem ipse es, &c.* Quid enim aliud humanæ vitæ dies sunt quã vmbra, somnium, flatusq; leuissimus? Similes sunt excisso & solis ardore torrefacto fœno. Tu verò vanitatum omnium secu-

rus, æterno permanes ſeculo, nunquamquè interituro. Eſt rerum humanarum memoria labilis & caduca: breuißimisque præſcripta temporum curriculis. Nam quæ de te eſt, nulla aboleri poßit temporum vetuſtate, vtpote quæ per omnes res conditas ſit effuſa: vt ab æuo in æuum ſempiterna tranſeat ſucceßione. Quod ſi opes meas, diuitias imperium, cæteraque, quibus humanus animus ſolet intumeſcere, ad tantam eamque magnificam diuitiarum tuarum ſuppellectilem refero, obſcura omnia & exigua adeò mihi videntur: vt propter tenuitatem vix, aut ne vix quidem, appareat. Licet enim vbique rerum & locorum,

tuam

tuam inuestigare amplitudinem, & magnarum copiarum abundãtiam, de qua, res omnes conditæ paßim testantur: in quibus relucet tua sapientia, bonitas, maiestas, imperium, & denique immortales opes & nunquã interituræ. Si autem חדלי substãtia sit idest ὑπόστασις siue οὐσία, vt existimarunt quidam, se totum sanctus propheta cum Deo componit. Nam contentione ista & comparatione: propria exiguitas magis quàm ipsa per se cognosci & intelligi poterat. Si me totum, inquit, cũ cæteris rebus cõpono, quæ aliquam videntur habere comparationẽ, pluris me æstimo, maioremque de me opinionem concipio, quàm vel tenuitas mea, vel ratio ipsa

Alia verbi interpretatio.

patia-

patiatur. Si autem cum profundiori abyſſo tuæ eſſentiæ, meæ ſubſtantiæ, ſiue ſubſiſtentiæ cōtentio incidat vnquam, tunc ſane omni diſcuſſa ignoratione ſatis intelligo quàm nihil ſit. Prudenter profectò ab antiquis tum philoſophis tũ theologis fuit animaduerſum, diuinæ ſubſtantiæ magnitudinem tantam eſſe, vt omnem exuperet rationem nomenclaturæ. Cum tamen cæteris rebus, humani ingenij ſolertia, rationiſq; ſingulari vi aptè accommodentur nomina: vt vnius ab altera fiat diſcretio. Quocirca, vbi omnia vnum ſunt, quod nam ibi nomen proprium humana mens excogitare poſſit? Mercurius ille ter maximus qui arcanas literas, diuinioremque

que philoſophiam per omnia videtur imitatus: de inexcogitabili diuinæ ſubſtantiæ abyſſo dixit. Quia rerum vniuerſitas eſt Deus: propriũ aliquod illius eſſe nomen haud poßit. Quoniam aut omni nomine Deũ, aut omnia, eius nuncupari nomine foret neceſſarium. Huic ſententiæ magnam etiam Diuus Dioniſius tribuit autoritatem. Conſtanter enim affirmat: nullam mortales ſummo Deo appellationem accommodare poſſe, quæ totam illius ſubſtantiam complectatur. Ob eamque rem, veteri teſtamento eſſentiæ ſiue ſubſiſtentiæ nomen ſibi vſurpauit, cum dixit, Ego ſum, qui ſum. De qua re, multa apud Platonicos inuenire liceat, multa etiam ipſa

Quid de diuina ſubſtantia philoſophi ſenſerint antiqui.

ſa

sa Aegiptiorum veteri Theologia. EtPlato ipse vir summo ingenio, mortales omnes acerbè reprehẽdit, quòd præteritum aut futurum tempus diuinæ naturæ accommodarent: cũ omniũ temporũ plenitudinẽ, imo æternitatẽ ipsam diuina substãtia cõprehẽdat. Sciẽs ac prudẽs omitto quæ Proclus, & Iamblicus, de diuina essentia atq; substãtia dixere: quod primæua sit, quod præclarißima, quod inter cæteras res sola per se existat. Quorũ iudiciũ Philõ Iudæus, vir et ipse Græcè doctiß. & in omni genere philosophiæ diu ac multũ versatus, magnoperè ꝓbauit. Qui in vita Moysi, superiorẽ exodi locũ exponẽs, sic inquit Dicito, si quispiam rogauerit: Quis te

legitima Dei cõpellatio, qui est.

te misit ad nos? Qui est misit me. Vt intelligant quãtum inter eum qui est, & eum qui non est, intersit. Iurè itaque sanctus propheta, hac contentione & comparatione facta, in hũc modum de se ipso statuebat. Substãtia *mea tanquam nihilũ ante te. Sũt qui credant, substantiã præsenti carmine præstolationem potiùs & expectationem significare, quàm essentiã aut subsistentiam rei cuiuspiã. Quorum iudicium si nobis probetur, vanitatis postremæ damnat vates, nõ tantum res omnes humanas, vitam, opes imperia, cæteraq; quæ ad cultum & ornatum corporis pertinent: sed & omnem humanam spẽ, quę rebus fluxis & perituris incumbat. Nemini*

enim

enim, vt arbitror, obscurum est, omnes humanas expectationes, vel aduersa aliqua fortuna, vel ingruente morte extenuari atque decerpi: omnemq; nostram fiduciã, cogitationes, perfugia, alacritates, subito ac breui temporis momento euanescere. Hoc itaque studio et cogitatione: R. propheta, cæteriq; summa pietate & innocentia homines, se ipsos cõprimunt & deijciunt, & propriæ carnis frangunt audaciam. Quæ nisi incredibili diligentia fuerit contrita & compressa, necessarium est, aduersus diuinas leges impetu quodam temerario se profundat. Atque hinc mortalis homo, præclarum & egregium ad instituendam vitam & moderãdos

affectus documentum accipiat: Magnũ solet ad cohibẽdam insolentiam nostræ carnis, pondus habere hoc genus contentionis, cum diuinis rebus. Solamq; diuinæ amplitudinis recordationem, & animos cõprimere posse, & omnem arrogantiam minuere: vt prostrati atque deiecti coram tanta maiestate, ex animo, cum sancto propheta, propriã tenuitatem fateamur dicentes. Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te.



Verum

Verumtamen vniuersa vanitas omnis homo viuens.

LEgunt quidā. Etiam vniuersa vanitas omnis homo viuens. Alij vero. Quam mera vanitas omnis homo viuens. Nam dictio אַךְ *cuius significatio latissimè patet, tā variæ lectioni occasionem præbuit. Parum refert hoc vel illo modo legas, siue per affirmationem siue per admiratione͂, modò genuinus huius loci sensus constet. Homo, inquit propheta, vniuersa vanitas est, siue omnis vanitas, idest, suprema qua nulla possit excogitari maior. Solet interdum scriptura sacra dictiones istas,* Omnis & omne, *ita vsurpare, vt collectiuè significent non distributiuè. Exod. 9.*

 Mor-

Mortua sunt animãtia omnia, quasi dicas. Magna iumentorũ pars peste lueq; interijt. Atque in hunc modum Paulinũ illud. 1. ad Thim. cap. 2. interpretantur quidam: Deus vult omnes homines saluos fieri, vt nullũ sit genus hominum tam ferum, tã inhumanum, tantopereque Deo despectum, ex quo non sibi aliquos se legerit. Significant hæ dictiones frequenter, rem suo genere integrã, consumatam, absolutã. Ecclesiastes cap. vltimo, Deum time, & mandata eius obserua, hoc est omnis homo. Quo loco Salomõ exponit, quæ sit optima omnibusque numeris absoluta viuendi ratio: quibusue partibus constet. Perficitur, inquit, vita beata duabus

partibus potißimum, quarum altera est timor Dei. Quo tropo solent Hebræi omnem cultum, singulaq́; religionis momenta significare. Sapiẽter enim Septuaginta pro timore constãter vertunt εὐσέβειαν. Prior ergo beatæ vitæ pars, à qua tãquã à primo fõte omnis pietatis ratio deriuatur, timor Dei est. Altera verò, diligens mandatorum Dei obseruantia. Ergo si Deum timeas, inquit Solomon, illiusq́; mãdata diligenter custodias, iure omnis homo appellaberis: hoc est integer, incorruptus, perfectus, & ipsa denique iusticiæ ratione, omnibus modis consumatus. In eum itaque sensum à R. propheta dictum arbitror, omnis vanitas, siue vniuersa vanitas,

Religionem siue pietatẽ.

omnis homo viuens. Vt ſit omnis homo viuẽs, is etiã qui inter mortales florere videtur, abſoluta quædã inanitas et conſummata, ſed & cũ dictio, הבל vanitatẽ & nihilũ ſignificet, poſſit locus hunc ſenſum reddere. Omne nihil ſiue poſtremum nihil, quicunque homo viuens. Hoc igitur Regij vatis, imò cœleſtis ſpiritus iudicio, qui falli non poteſt, tanquam conſtitutum & definitum habendum eſt: quemuis hominum, potentem, opulentum, diuitijs opibuſque florentem & beatum, vanitatem eſſe, ſupremumque nihil. Et quoniam pro viuente, conſiſtentem tranſtulere nonnulli, erit ſenſus. Homines quicunque in terris verſantur, tametſi firmi

ter videantur consistere, nihil tamen esse, omnemque humanam gloriam, & quicquid ad humanam vitã pertinet falsum esse, mendax, futile, inane. Eam verò inanitatem consistentium siue viuentium idem R. propheta Psal. 36. eleganti quadam hypotyposi apertius declarat. Vidi, inquit, impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani. Transiui, & ecce non erat: quęsiui & non est inuẽtus locus eius. Cedrus vtique Libani, et quęcũq; alia arbor annosa magnis solet lateq; expansis ramis se præbêre visendã. Huic adsimilat homines (quos cõsistẽtes siue viuẽtes appellat prę sẽti carmine) nobiles scilicet potẽtes, atq; florẽtes, qui nec sibi neq;

Omnis humana fœlicitas, infœlix.

alijs viderẽtur facilè posse euerti. Adeò verò humana vita nihil habet stabile aut firmum, nisi ex animo illi fauerit Deus, vt subitò perire & euanescere oporteat: & ad supremã vanitatem postremũq; nihil redigatur. Talis sane fuit Saul, Doeg, Absalon, Achitophel, Alexander, Iulius cæsar, & alij improbi & scelerati homines, tyranni, publicæq; libertatis oppressores: quorũ consilia & res gestas, tum prophana, tum sacra refert hystoria. Horum omniũ inuicta videbatur potentia, maximeq; firma fœlicitas, quos tamen ita videmus subitò pessum ijsse, vt suo iam malo agnoscant, quemuis hominem tametsi potẽtem atque florentem, summã esse va-

nitatem

nitatem postremumq́; nihil. Sed & illud gratiam habet venustatis, ad exprimendam humanæ vitæ vanitatē, quod à sanctißimo vate fuit adiectū. Transiui, & ecce non erat: quæsiui, & non est inuentus locus eius. Iam videram florentem, & tanquam annosam & indigenam arborem optimè radicatā, adeò vt sempiterna frui tura fœlicitate videretur. Et ecce dū respicio, euanuit inanitas illa, dilapsumque est nihil. Eaq́; ratione dispe riit: vt me sædulo inquirente nullū illius appareret vestigium. Solet enim diuinum iudicium hoc genus hominum, quos propheta consistentes siue viuentes appellat, & frequentiùs & faciliùs è vita submouere, vt morta-

les agnoſcant, totam humanam vitã meram eſſe vanitatem: vt vel ea ratione permoti, prudẽtiùs ſe gerant: et innocẽtiæ, pietati, virtutiq; ſtudeãt. Hominem itaq; vanitatem ſiue inanitatem appellat propheta: quem Pythagoras rerum menſuram eſſe dicebat. Mercurius alterum Deum. Plato miraculum maximum, oraculũq; diuinum. Pythagorici omnes atque Platonici, diuinam mentem terrenis alligatam vinculis. Illud enim præſtantius philoſophiæ genus cenſendũ eſt, atq; excellẽtius, quod hominis miſeriam, calamitatẽ, et infœlicitatẽ, in mentẽ reuocat: quàm quod de illius excellentia & præſtantia diſputãs, hominis dignitatem egregijs extollit

homo, miraculum philoſophis, Dauidi vanitas.

præ-

præconijs. Quemadmodum enim ab altero philoſophandi genere ingentes animos concipimus: ita etiam & ab altero humani conatus reprimũtur: & noſtra retũditur arrogãtia. Multa quidem ſunt à cultoribus externæ philoſophiæ de humana miſeria et infœlicitate copiosè et eleganter dicta: quę longũ eſſet referre. Ariſtoteles enĩ ſũmus philoſophus, vt ex m ultis pauca colligamus, hominẽ appellabat imbecillitatis exemplũ, ſpoliũ temporis, fortunæ luſum, incõſtantiæ imaginẽ, inuidiæ & calamitatis trutinam, reliquum verò pituitam atque bilem. Antipho verò de eadem re dicebat. Humanam vitam nihil habere eximiũ, magnum, aut venerandũ, nihil

Ariſtoteles de humana miſeria.

Antiph.

non

non habere: paruum, imbecille, temporaneum, molestijsq; multis permixtum. Hæc tamen omnia accuratius multò à sancto propheta fuerunt excogitata, toto hoc psalmo, præsẽti carmime maximè, cum singula humanæ vitæ momenta, sumã vanitatem, postremumq; nihil appellat. Quid enim homo habet quod supremæ vanitati obnoxium non sit? Expẽde animo singula illius studia, & vehementes ad res perituras magna cũ voluptate applicatas occupationes: quæcunq; siue ad mentem, siue ad corpus pertinent (vnã semper excipio animi pietatem), cõsuetudines, opiniones, denique vitam ipsam, mihi aliud sanè quàm vanitatem deprehẽdes, & ina-

nes

nes quasdam curas, et sollicitudines, quæ illius imbecillitatem vehemẽter torquent. Recole animo eam vanitatem iure supremam posse appellari: quæ nusquã adsequatur id quod maximè cupit. Paulus apostolus gentiũ doctor ad Rom. scribens cap. 8. singulas res, quæ toto ambitu naturæ cõprehenderẽtur, vanitati obnoxias cõstanter affirmat: Omnis inquit creatura vanitati subiecta est. Quæras fortasse ab Apostolo, quibus ex causis inanitatẽ appellet vniuersam creaturam, aut vanitati obnoxiam. Respondet ille, quòd incorruptionem & immortalitatem semper meditetur, dum aliud ex alio gignit: quam tamẽ ante filiorum Dei exaltationem nunquam

quam adsequetur. Cum itaque irriti sint & inanes totius naturę conatus, dum ipsam meditatur immortalitatem: bene vanitatis postremæ ab apostolo dãnatur. Cum autem miser & calamitosus homo beatitudinẽ quandam, & fœlicitatem, & certam animi quietudinem, vehementiùs expetat omnibus in rebus & negocijs, tũ publicis tũ priuatis, quã tamen nunquam adsequetur, iure singula illius studia atque consilia postremæ vanitatis damnentur. Laborat vt beatus fiat, vigilat, nauigat, studet: nihil denique aut aßiduitatis aut sudoris est, quod non libenter subeat, dum falsam quandam imaginem beatitudinis secum cogitat. Quo circa, Salomon

mon ille omnium hominum longè ſapientiſsimus, quæcunque in humana vita magna viderentur, præclara, et expetenda, proprio iudicio atq; teſtimonio inania, falſa, leuiſsimaq; appellabat dicens. Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Statim verò à totius operis propoſitiõe, ea omnia connumerat quibus ſtulti homines vehementer oblectantur: quorũq; ſtudio vehementiùs affligũtur: adeò vt nullũ penè fuerit voluptatis aut oblectamẽti genus tota humana vita, quod eo volumine non commemorauerit: cui præterea vanitatis notã non inuſerit. Labores itaque, ſtudia, conſilia congerendi opes atque diuitias, imò & longam ipſam diuitiarum ſupel-

pellectilem, vanitatem appellat. Concentus præterea à musicos, varia instrumenta, amœnissimos hortos, ciborum exquisitorum copiam, carnis oblectamenta postremam ducit vanitatem. Artes omnes & scientias quas incredibili labore perdiscimus (quod ego vehemẽtiùs demiror) leuitatis & inanitatis conuincit. Non quòd optimæ artes & disciplinæ sint reijciendæ, quibus humanum ingeniũ vehemẽter excolitur, cum sint multa præsertim in literis arcanis quæ exactam disciplinarum omnium cognitionem magnoperè exposcant. Nam si de rerum contẽplatione agitur, omnes penè parabolas atque metaphoras à rerum naturis & proprietatibus desumu

Disciplinarũ cognitio arcanis literis necessaria.

mit diuina philosophia. Quale est illud. Renouabitur vt aquila iuuentus tua. Sicut aquila prouocãs ad volandum pullos suos. Et illud etiam. Quẽadmodũ desiderat ceruus &c. Et iterum. Vade ad formicam o piger. Et in libro Iob cap. 38. & 39. multa de rerũ naturis disputat Deus. Plæraq; etiam sunt quæ ad disciplinas rationales pertineant: quæ sciens consultò prætermitto. Itaque cum sapientissimus homo ingenuas artes & disciplinas, vanas & futiles appellabat, tota inanitatis ratio ad humana consilia, humanumq́; animum sit referenda. Primò quòd multa scire appetat exemplo primorum parentum, quæ minimè oporteat. Deinde quod

plerunque curiosis magis sit intentus quàm necessarijs. Quod nusquã prætereà, aut quàm rarißime optimos sibi mortalis homo in studijs literarum præstituat fines. Vix enim vnum aut alterum inuenies qui literis incũbat: vt Deũ autorem omnium rerũ agnoscat, sed vel ad conciliandum sibi principum beneuolentiam, vel ad cumulandas opes, honoresque comparandos, quæ omnia leuißima esse & inania ambigit nemo. Itaq; si hominem ab ipsa appetitione ementitæ cuiusdam & inanis fœlicitatis, ab ipsis laboribus & erumnis, voluptatibus, et oblectamentis, à literarũ studijs, metiaris: verũ esse depræhendes oraculũ prophetæ dicẽtis. Vniuersa vanitas

Studiorũ peruersitas.

omnis

omnis homo viuẽs. Sed quoniã de vita ipsa humana dubitabunt fortasse plæriq;, an vanitas sit, visum est etiã magnorum virorũ autoritate & doctrina: insuperabilique cõuincere argumento: vitam ipsam quæ tanta est apud nos æstimatione: vanam quidem esse, futilem & inanem, ipsumque nihil. Nam quid aliud sit mors quàm nihil? cum sit postremus interitus, quo tolluntur omnia atque delentur, præter vnum animum. Sic enim à sapiẽtibus definitur mors, quæ si sit omnium extremum & naturæ finis & dissolutio. Mors autem ipsa, si diligenter animaduertas, nullibi quàm in humana vita cõperitur. Relinquitur ergo humanam vitam,

vel ab ipſa morte ſumendo argumentum, nihil eſſe. Nam ſi ex eo iam tempore miſer homo incipit mori, hoc eſt, in morte eſſe, ex quo mors in illum imperium obtinet, toto autem vitæ decurſu mors agit in illum, per totam ergo vitam moritur. Singulis enim momentis, vitæ aliqua pars homini detrahitur. Cum autem detractione ipſa fuerit abſumpta, poſt mortem iam erit non in morte. Itaque ex quo homo incipit eſſe in vita: incipit mori. Eſt autem mors ipſa, ſupremũ quoddam nihil. Quid igitur aliud humana vita ſit, quã ſuprema vanitas? Vt eſt à ſancto vate decantatum. Nunquam enim miſer homo in vita eſt, ex quo in corpore moriente verſatur, ni-

Idem vitę, et mortis initiũ

ſi dicas: in morte ſimul eſſe & in vita. In vita quidem, quod nondum tota per mortem detracta ſit: in morte verò, quòd ſemper aliquid de vita detrahatur. Sed ſatis erit, vt arbitror, ad oſtendendam & declarandā vanitatem humanæ vitæ, illud certa ratione expoſuiſſe, vitam cum morte ita eſſe coniunctam: vt nullum ſit humanæ vitæ momentum, quod morti non ſit obnoxium. Neque enim fruſtra dicimur poſt mortem eſſe, cum tota vita detracta eſt, niſi quia mors erat humana vita: cum perpetuò aliquid ex illa detraheretur. Nam ſi ea detracta, non eſt homo in morte, ſed poſt mortem, erat igitur in morte cū detraheretur, ac proinde tota vita

mors est, & inanitas, & nihil. Prudenti itaq; consilio sanctus vates, totum hominem, singulaq; illius bona, siue quæ ad corpus pertinēt: siue quæ ad animum, quibus se beatum iudicat atque fœlicem inanitatem & vanitatem appellat, ipsumque nihil.

Verumtamen in imagine pertransit homo: sed & frustra conturbatur.

COmperio à. R. *Maymoni in libro Morech Nebuchim annotatum* צֶלֶם *sculptile esse. & eius rei imaginem significare: quæ aut nunquam existat, aut non talis sit: qualis esse videtur. Cuius sententiam, aliò prope-*

rantes

rantes, Hebraicè doctis excutiendam relinquo. Regius itaque propheta, de fugacitate humanæ vitæ dicturus, בְּצֶלֶם pertransire dixit, vt eam imagini tenuissimæ, quæ nihil habeat subsistentiæ, ostenderet esse persimilem. Multa sunt à viris sapientibus literis prodita, tum Græcis tum Latinis, de humanæ vitæ contractione, quæ cum sancti vatis oraculo magnoperè videantur consentire. Sophocles, postquàm hominem mortalem & infœlicem dixerat: spiritum tantũ & vmbrã esse affirmabat, totũq; humanũ genus in diẽ sapere. Rectius tamen Æschylus, qui hominem dixit nihilo magis firmũ esse: quàm vmbrã fumi. Homerus poëta præstãtissimus

Sophocl

Homo, fumi vmbra.

de miseria & calamitate vitæ humanæ edisserens, quasi admirans inanes & superuacaneas mortalium sollicitudines: præstantes quosq; & excellentes viros, folijs similes esse dicebat. Sed & sanctus Iob Spiritu Dei plenus, eleganter sanè breuitatem humanæ vitæ describit cap. 14. cum inquit, Homo natus de muliere breui viuens tempore: Qui quasi flos egreditur & cõteritur: et fugit velut vmbra. Perinde ac si d icat. Pertransit in imagine. Potuisset quidem & sanctus Iob cap. 14. & sanctus Dauid præsenti carmine, humanæ vitæ breuitatẽ & fugacitatem, fulgentißimo syderi, soli scilicet, adsimilare, quòd perpetuo in circulos torqueatur: nunquamq;

firma

firma stabilitate consistat. Sed prudẽti maturoq; consilio, miseriam humanæ vitæ & breuitatem, vmbræ potius quàm soli similẽ esse dixêre. Nã, vt ex arcanis etiam prophanæ philosophiæ constat, vmbra nihil aliud sit, quàm lucis intentæ vacuitas quædã, quæ concreti corporis obiectu fit. Vt igitur appellatione vmbræ, multis esse defectibus plenam humanam vitã declararent, & cum omni vacuitate bonorum coniunctam, vmbram illã appellauêre: & sancti homines, & veteres poetæ, atque philosophi. Nã quemadmodum vmbra ipsa, speciem quandam præ se ferre videtur humani corporis, quam si propius contempleris, membris omnibus destitutam *Appositissima similitudo*

inuenias, nihilq; habentem cum humano corpore cõmune, præter inanẽ illã effigiẽ, & mẽdax simulachrũ: nõ secus humana vita à lõge conspecta, multa sane videtur habere: quæ solida appareãt, et plurimũ videãtur habere constantiæ & firmitudinis. Cuius rationem si certo & exacto iudicio expandas: nihil in ea aut fixum aut stabile depræhendas. Nam summæ voluptates & vitæ oblectamenta, quæ ab hominibus magna putantur, quorum gratia vitam ipsam gratissimam iudicamus, nonne verè sint vmbræ: & rerum imagines potius quàm res ipsæ. Si enim aut venientes voluptates aut abeuntes considères, quid aliud quæso post se relinquunt

Abeũtes voluptates spectãdæ.

quunt

quunt hæc omnia, quam tædium & molestiam, cruciatus, & acerbitates amaritudine plenas, felleque permixtas? Quid vero sit statuendum de diuitijs, de opibus, imperio, regno, dignitatibus, honoribus, inde liceat coniecturam facere, quòd homo ipse qui omnium istorum causa existit: in imagine pertransit & vmbra. Sed & illud ad rem aperiendam magnum videtur habere momẽtum: quod sole in occiduas partes sensim inclinãte corporũ vmbræ multò videntur esse maiores. Quæ quò magis crescũt, eò magis ad interitum festinant, & incredibili celeritate euanescũt. Ad eundẽ modũ & humana vita: quæ ab infantia ad pueritiã, à pueritia ad adolescentiã, indeq;

indeq; ad iuuentutem, & tãdem senectutem ipsam festinat, quò magis crescit, & in spacia viuendi proficit, eò magis ad interitum & finem accedit. Quicquid enim humanæ vitæ additur vt proficiat: id omne ab spacijs viuendi necessitate quadam demitur. Eleganter verò a propheta dictũ est. In imagine siue in vmbra pertrãsit homo: ita vt appellatio vmbræ, & transeundi verbum, summam celeritatem ad mortem & interitũ significent. Nam quemadmodum multis alijs in rebus humana vita vmbræ similis esse videtur: ita & ea vna re maxime, quod semper labitur et fluit: neque magis quàm vmbræ ipsæ consistat: quæ à corporibus prodeuntes,

nunc

nunc quidem exiguæ apparent: nunc promouent suis spacijs, quousq; vespere accedente, quãdo longissimæ sunt, subitò pereunt & vertuntur in tenebras. Vnde & sanctus Iob, adducto loco, humanæ vitæ inconstantiã multis imaginibus exprimens, postquam vmbram illam appellauit, de inconstantia & fugacitate illius intulit. Nunquam in eodem statu permanet. Qui enim infans est, sensim ad pueritiam accedit, pueritiam sequitur adolescentia, & iuuentus, à qua ad senectutem delabimur, omnium rerum confectricem. Fixum ergo statum hic habere haud possumus, quoniam transituri venimus. Nam & inter cæteras lethales plagas, hanc

vnam

vnã propter peccatũ humana natura accepit grauißimã: quod, ante ſcelus primorũ parẽtũ cõsiſtẽte natura ipſa ſ tẽpora veloci curſu trãsirẽt. Poſtq̃ vero deliquit, in lubrico cõſtituta nequit vel vno tẽporis momẽto, in eodẽ ſtatu ꝑmanere. Hãc humanæ vitę fugacitatẽ et breuitatẽ, flebili et mæſtißimo carmine. R. propheta proſequebatur. pſal. 101. dicẽs. Dies mei ſicut vmbra declinauerũt, & ego ſicut fœnũ arui.

Corporis & animi incõſtantia. Cũ ergo duplici ſit homo natura coagmentatus, quarũ altera corporea eſt, altera vero cœleſtis atq; diuina, vnde totus cẽſetur homo, mirũ profecto videatur quod quẽadmodũ corpore infœlix et miſer cõsiſtere nequit: ita etiã certa quadã ratione neq; animo, ita

vt

vt perpetuis mutatiõibus totus ſit ob-
noxius. Neq; enim à vetuſtiſs. philo-
ſophis ſine magna ac prudẽti animad
uerſiõe iactatũ eſt: hominũ quẽq; mu
tari ſemper atq; deficere, ea ratiõe, vt
nõ idẽ ſit infãs qui puer, aut puer qui Parmenides,
ſenex. Nunquã enim eadẽ in ſe cõti-
net: ſed nouus ſemp̃ efficitur, vt Pla-
to dixit, et vetera ſemp̃ exuit: pillos.
carnẽ, oſſa, ſãguinẽ, et corpus penitùs
vniuerſũ. Quid verò de ijs quę ad a-
nimũ pertinẽt ſit iudicãdũ? Nõne mo
res, cõſuetudines, opiniones, volupta
tes, dolores, atq; timores iugiter per-
mutantur? Nunquã, me herclè, ex ijs
quidpiã idẽ & ſimile perſeuerat, ſed
priora abolẽtur, noua ſuccedũt, atq;
adoleſcunt. Quinetiã & illud magis
demi-

demirandum ſit, quòd inter ingenuas artes & ſcientias aliæ euaneſcũt, ſurgunt aliæ. Ita vt ſi diſciplinarum & artium rationem conſideres, non ſemper ſecundum animum idem ſimus. Sed & illud mutabilitatis & inconſtantiæ huius maximum atq; certiſsimum indicium ſit, quòd à virtute in peccatum frequenter prolabimur, à peccato verò ſi ad virtutem & meliorem vitam aſpirare nitimur, quaſi cõtra fluminis ictum, fruſtra citra diuinum præſidium, conatus omnes adponere videamur. Eſt autẽ illud magna cum dementia & ſtultitia coniunctum, quod cum ætas noſtra ſemper eat qua cœpit, neque curſum ſuũ aut reuocet aut ſupprimat, aut nos

velocitatis ſuæ vnquã admoneat, ſed tacita ſemper labatur: nos innumeris penè curis & ſollicitudinibus negocijsq; implicati & conſtricti fruſtra cõturbamur, vt propheta inquit, hoc eſt, diſtrahimur atque diſcerpimur. Dum autem occupati ſumus, vita ipſa feſtinat, acceditq; mors, cui, velimus nolimus, vacandum eſt. Clamat itaque ipſa vitæ contractio & breuitas incredibilis, protinùs eſſe viuendum, & pernicioſas illas rerum periturarum curas prorſum reijciendas. Optima quæq; dies, *clamabat nobilis poeta,* miſeris mortalibus æui Prima fugit. *Quid igitur cũctamur? Quid ceſſamus? Niſi enim fugientem vitam occupemus, ſubitò di-*

 labetur.

labetur. Et cum maxime occupauerimus, fugiet tamen. Itaque cito hauriendum est è vita, veluti ex torrente rapido, neque semper casuro. Et cum temporis celeritate vtẽdi velocitate, certandum sit. Frustra itaque conturbamur in tanta temporum fuga, & lenti, nobis ipsis promittimus dies & menses & longam annorum seriem. Nobis enim occupatis circa res perituras & fluxas, senectus accedet: quę pueriles animos opprimet, ad quã imparati inermesque venimus. Frustra prætereà conturbamur, nam si summa diligentia & cura adhibita, eam consequeremur fœlicitatem, quam nostra stultitia finxit, ab ea tamen subito deturbati: in sempiternam mortẽ

&

& interitũ cõijciamur, quid tandem vtilitatis ex aßiduis curis & afflictio nibus nobis accedet? Frustra sanè aua rus ille euangelicus per totam vitam varijs curis constrictus, & perturba- tionibus & sollicitudinibus quasi e- xessus, congerendis opibus, & im- plendis & dilatandis horreis operam dabat. Nam cum animo suo reputã- ti & expendenti quantam diuitiarũ copiam et vim domi haberet, tum ad vsus vitæ necessarios, tum ad perfruẽ das voluptates, terribilis illa vox & formadibilis insonuit: quæ omnia il- lius studia, sollicitudines, & conatus inanes fuisse declarauit. Stulte: hac nocte animam tuam repetent à te: Quæ autem parasti cuius erunt?

Thesaurizat. & ignorat cui congregabit ea.

Et nũc quæ est expectatio mea? nonne dominus: & substantia mea apud te est?

CElebris est illa Posidippi siue Cratetis Cynici sententia. Tantas esse huius vitæ acerbitates, curas & sollicitudines: vt sapienti homini alterũ è duobus eligendum esset, si daretur optio, aut non nasci scilicet, aut statim natum vita defungi. Quid enim dulcius hominibus videatur, charissimis filijs & gratissima sobole? Nemo tamen ignorat, quin quanto liberorũ copia maior, tanto infœlicior parentum conditio sit. Quid enim aliud est

ſoboles ipſa, quam curarum fons domi natus, qui vitam agere ſine metu, cura, & angore, nunquam patiatur? Fælices plærique & beatos ſe exiſtimant, quòd liberos genuerint, filios procreauerint: quibus proſpicere poſſint ſumma cura atque diligentia, in quos ſpes dilatandæ ſobolis incũbat. Neſciunt miſeri genus hoc fœlicitatis anxium eſſe & ſollicitum curarũque plenum. Nam quis neſciat quantam materiam laborum gignendo quærũt homines, quos aditus curis, et lachrymis, in ſuam domũ patefaciunt: quantũ in ſe ius curis, doloribus, miſeriæq; præbeant? Ducunt noctes inſomnes: ſollicitos dies agunt: ſpes longas & inextricabiles ordiuntur: diuitias in- *Humanæ vitæ ſollicitudines*

defeſſo ſtudio congerunt: cumulãt opes, vt chariſsimos filios ſuorum laborum & ſollicitudinum hæredes relinquant. Quid autem miſeriùs & infœliciùs quàm arborem ſerere, quæ te per totam vitam exerceat: quam colere inexhauſto labore ſit neceſſe: cuius nullos dum viuis aut ſeros fructus accipias: incertus quid tandẽ poſt mortem futurum ſit? Sed finge, bona ſit arbor, bonorũq; filiorum pater ſis, iugis te diſcruciabit timor. Si verò impij fuerint, ſempiterno te dolore afficient. Itaq; ſolamen ſemper incertum erit, certa cura. Non eò hæc à nobis ſunt dicta, vt quiſpiam arbitretur impium eſſe, in rebus etiam perituris, parentes filijs proſpicere. Hoc enim

&

& natura docet, & charitas suadet, & iubet Apostolus. 1. ad Thimo. 5. Qui suorum & maxime domesticorum curam non habet. &c. Sed illud vanitatis plenum, summaq; cum dementia coniunctum censet scriptura diuina: quòd liberis perpetuò laborēt parentes: & circa res fluxas & perituras tanto studio incumbant, vt spiritales & cœlestes prorsus fastidiāt: ꝙ seipsos propriāq; salutē negligant: ꝙ filijs ingentē vim diuitiarū & opum cōgerant: de rebus aūt ad pietatē christianā pertinētibus nusquam illos instruāt: ꝙ nō vereātur leges et mādata diuina trāsgredi & contēnere: vt illos magnificè copioseq; ditēt. Sapientiss. ille iuuenis Salomō. 2. Eccle. cap.

cum vanitatem humanæ vitæ multis modis insectaretur: illud inter cætera dixit, quod nostro instituto videtur accommodatissimum. Detestatus sum omnem industriam qua sub sole laboraui: habiturus hæredem post me quē ignoro sapiens ne futurus sit an stultus. Nam si sapientem hæredem fuero nactus, quæ ego summis laboribus congessi, fortasse ipse fastidiet, quæret noua: noua capiet, noua molietur. Si temerarium & stultum, perdet, dilapidabit, quæ summis curis & sollicitudinibus illi reliqui. Tradidit Salomon Roboamo filio amplissimū regnum: & opulētius multo quàm à patre Dauide accepisset. Cuius maiestatem & gloriam Roboamus minuit:

Salomōis sollicitudo.

&

& detrimento affecit. Octauius Cæsar ornauit vrbem: Nero eam vastauit. Collegerat Pompeius ingentem vim pecuniæ in publicum ærariũ: Cesar vero, vna die, totum ærarium exhausit. Quod de liberis procreãdaq́; sobole & hæredibus diximus: idem etiam de conscribendorum librorum cura dicẽdum arbitror: quos tanquã charißima pignora vehementer diligimus. Diebus & noctibus te ipsum excrucias: nullumq́; intermittis tempus vt plena volumina posteris relinquas: vt cum literis tuas cogitationes commiseris, celebrem etiam tui memoriam ad æternitatem mittas: at verò, fieri poteſt vt ſcripta tua in manus ſtultorum hominum veniant, qui in-

de vel hæreſeos ſemina capient, vel ir
rideant, contẽnant, quæ tu tãtis labo
ribus & vigilijs congeßiſti. Itaq;, vt
ad inſtitutũ redeamus, ſanctus pro-
pheta ſpiritu Dei plenus: quæ breui
verſiculo mortales docet, hæc potiſsi-
mũ eſſe videntur. Primò, mortalis ho
ἀνακεφα- mo agnita vanitate tantorũ laborum
λαίωσις intelligat Deũ Opt. Max. potiorem
eſſe liberorũ patrẽ, q̃ ſit pater ipſe. In-
telligat deinde, liberos vt corpus ha-
bent, ita etiã & animũ habere. Ob
eamq; rẽ, dandã eſſe operã, eorũ men
tes potius bene habeãt: quã corpora.
Iubet enim Paul. ad Epheſ. 6. liberos
erudire in timore Dñi. Intelligãt poſ
tremò, liberis nõ tẽporaria tantũ ne-
ceſſaria eſſe, ſed ſpiritalia & æterna

multo

multo magis: vt ſapientia, iuſtitia, timor Dei, charitas, cęteraq́; id genus. Quo circa, iuſti hominis atq; verè ſapiẽtis, ea ſemper debeat eſſe cura pręcipua: vt ante omnia pro teſtamẽto et legato filijs Deũ propitiũ relinquat. Id fiet, ſi hæredes ipſos de ſectãda pietate inſtruxerit, & in timore Dñi educauerit dũ viuit. Nã ſi Deũ habuerint propitiũ nihil non habeant: neq; illis deeſſe poſsint quæ ſunt ad tutelã vitæ neceſſaria. Sãctus Iſaac Geneſ. 27. Filium ſuum benedixit, ac Deum illi propitium reliquit: id quod rerum exitus declarauit. Tobias ſanctus moriturus filium chariſsimum, de veræ pietatis ratione, multis modis inſtruxit. Iob pro filijs ſacrificia

Iuſti & ſapientis hominis cura.

quoti-

quotidiana offerebat. Huc igitur sũt reuocandæ curæ omnes & sollicitudines eorum hominum, qui stulta & superuacanea diligentia liberis hæredibusq; prospiciunt: prorsum ignorãtes quales futuri sint ij: quibus diuitias & opes, per totam vitam congesſere. &c. Rebus igitur omnibus in hunc modum habẽtibus, inquit propheta. Quæ nunc tandem erit expectatio mea? nonne Dominus. & quidem substantia mea apud te est. Cum tam apertè pronunciauerim mortalium vitam, & quæcunque moliũtur homines, vmbram esse & vanitatem postremam, quæ tandẽ erit expectatio mea? quid expectẽ in rebus caducis? In quibus si meam spem collocarẽ

extenuaretur ſtatim & euaneſceret. Ne igitur ſuſpenſus & incertus, obſcura ſpe, & cæca expectatione à rebus caducis pendeam: ſubſtãtia mea apud te eſt, hoc eſt, quicquid ſum & viuo, in te vnum tuiq; amorem & dilectionem incumbet. Appetant alij diuitias, & opes, vt libet, quibus nullus in terris ſtatuitur finis: ego enim hæc omnia faſtidiens, in ſpem cogitationemq; meliorem inductus, meipſum, quantus quantus ſum, totũ tuæ fidei bonitatiq; committo.

Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: opprobrium inſipiẽti dediſti me.

Naſci

NAscitur sæpe ex diuino flagello ipsa sceleris & peccati cognitio. Contingitq́; frequẽter, vt occulta flagitia, quæ mentem humanam fugiebant, diuinis castigationibus quasi in apertam lucem & memoriam hominum reuocentur. Et quãuis filij Dei longe sint aliquando ab omni grauioris sceleris & peccati conscientia, cũ tamen à Deo acerbiùs corripiuntur, vehementer pertimescant, ne digna fortasse suis sceleribus patiantur. Ob eamq́; rem, sua sibi scelera remitti ardentius orant. Sciũt enim, diuinis instructi oraculis, exempla diuinæ iustitiæ in homines nefarios et flagitiosos, & qui grauißimis sceleribus Deum prouocauere, frequẽtius proferri. Ne

queignorant peccata ipsa, causas sæpissime secum adferre morborum & ægritudinum, quibus genus humanũ diuexatur. Paulus enim Apostolus Corinthios de re ista diligẽter instruebat, dicẽs. Propter hoc inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiũt multi. Quo loco, eos acerbè increpat qui citra delectũ aliquem, ac proinde indigne & imprudẽter, ad sacrã cõmunionem accederent. Neque dubitat Paulus quin huius tanti flagitij causa, grauißima pestis & lues in populum Corinthiorum grassaretur. Christus Iesus M.V. curatum à se hominem hortabatur, ne in antiqua scelera denuò relaberetur: ne forsitan deterius aliquid illi cõtingeret.

Mala corporis à malis animi profecta.

Eius

Eius testimonium & apertum de re ista iudicium, abundè sufficiat ad firmandam nostram sententiam, nempe morbos & grauiores ægritudines frequenter ex peccatis oriri. Vix vnquã comperies hominem quempiã à Christo Iesu in pristinam fuisse salutẽ restitutũ, quin prius animo mederetur, quam corpori. Quod si res ipsa nõ esset testimonijs sanctarum scripturarum fulcienda, sed argumentis ex intima philosophia conquæsitis, posset hæc nostra sententia multis et magnis rationibus confirmari. Itaq;. vt multa prætermittamus quæ ad rem probandam potuissent adduci, illud sane insuperabile videtur argumẽtum, quòd integra valetudo, quemadmo-

dũ prodidêre artis medicæ periti, humorum concentu quodam & concordia constare videatur: quæ si vlla ratione perturbetur: necessum sit rectã ipsam valetudinẽ perturbari, & humanum corpus graues incurrere ægritudines. Accidit autem frequenter, arcano quodam naturæ, humorum illam concinitatem: lædi atq; dissolui grauiori aliquo scelere & flagitio. Consequitur enim peccatum omne, necessitate quadam, animi cõtractio & mæstitia, & interior cruciatus, qui corporis vires & facultates & rectam denique valetudinem prosternere sufficiat, id autem frequentius cõtingat eis sceleribus: quæ vel ad corpus maxime pertinent, vel cum cor-

Dissoluitur armonia corporis peccatis.

pore nonnihil habent comercij. Itaq; & natura ipsa ita ferente, & quod omnium est maximum diuina prouidentia res ita moderante: sequuntur sæpe scelera & flagitia ipsa, graues ægritudines, & acuti morbi atq; mordaces. Quò fit, vt sancti homines sceleris naturam, & morbi causas magno iudicio expendentes, cùm grauiori aliqua ægritudine afflictantur, ab omni scelere & flagitio liberari se postulent: scientes integram sanitatem mentis, in corpus redundare. Vt morbus, & ægritudo animi, corpus etiã inficit. Ob eamq́; rem, præsenti carmine R. P. precatur sibi peccata remittantur: è quibus fortasse ipsa perturbatio salutis fuerat profecta. Ab

omnibus *iniquitatibus meis, inquit erue me: opprobrium insipienti dedisti me. Pro insipiente in Hebræo,* נבל *habetur. Est autem huius vocis euidẽtia & significatio varia: patetque latißime. Sed quantum attinet ad institutum nostrum, hominem perditum significare solet, nullumque habentem virtutis succum: vt est à doctißimis viris annotatum. Solet id genus hominum perditißimorum, sanctorum irridere substinentiam, & in aduersis animi celsitudinem. Nam cum post indefessæ pietatis studium, filios Dei in miserijs viuere frequenter vident, & cum aduersa & inimica cõflictare fortuna, illorum spem admirabilem, & incredibilem to-*

ſerantiam, ignauiam appellant, & ſtultitiam arbitrantur. Nec cuipiam debeat mirum videri: quod P. R. nõ adeò æquo animo ferat deriſuiſſe, & impietati improborum hominũ pate-rẹ. Sancti enim homines cæteras diui nas caſtigatiões tametſi libẽtibus ani mis ferant: illud vnum grauiſsimum ſemper & atrociſsimum ſupplicium arbitrantur: quod linguæ flagellũ *appellat ſcriptura diuina. Cum ſanctus Iob cap. 5. multa commemoraſſet de diuina erga iuſtos homines in-dulgentia, deq; ſumma illius cura & prouidentia ad innocentiam tuendã vt ſancti ſumma ſecuritate agãt, varios atque diuerſos cruciatus recen-ſet, quos omnes diuina manus poten-*

ter depellit, in ſex tribulationibus, in quit, liberabit te: & in ſeptima non tanget te malum. Tum famis meminit, belli, gladij, & poſtremò tandem tanquam grauiſsimã omnium, longéque formidabilem plagam: linguæ flagellum commemorat dicens. A flagello linguæ abſconderis. Quis enim non vehementer pertimeſcat petulantis linguæ iacula? Eſt autẽ linguæ flagellum: exprobratio illatæ contumeliæ. Sæpe igitur & linguæ flagello Deus innocentes corripit, & à duriore caſtigatione aliquãdo liberat. Sed petulantia linguæ ſanctorum innocẽtiam & integritatem, tum calamitates, & aduerſa quæq;, vt morbos ægritudines, cæteráq; id genus frequẽ

tius afficit. Illud aũt in hoc linguæ flagello siue petulantia, pijs hominibus horrendum maxime & auersandum videtur: quod stultorum hominum et perditorum iudicia, tanta laborant corruptione: vt si duriori aliquo cruciatu iustorum quempiam premi & diuexari videant: arbitrentur illico, vanam fuisse illius spem, nullũq; piè viuendo fecisse operepreciũ. Vxor sancti Iob, vt sacra refert hystoria, cum ex tam ampla fœlicique fortuna maritum videret in miserrimam sortem & conditionem deuolutum: totam illius substinentiam, & admirabilem animi celsitudinem, & quæ fecisset per totam vitam egregia opera, vana & inutilia ducebat, cum dice-

Exẽplis exprimitur flagellũ linguæ

ret.

ret, Benedic Deo. & morere. &c. Vxor præterea Thobiæ, post ea pietatis opera quæ nusquam alius fecisset, quemadmodum est sacris literis proditum, cùm maritum videret postrema egestate & rerum inopia premi: gratissimamque oculorum lucem illi ademptam: indignabũda aliquãdo (quòd sanctus homo vehementer illam hortaretur: ne furtiuum quidpiam aut ederet ipsa, aut sibi edendũ ministraret) singula illius opera, eximiasq; spes irridere cœpit: presentesq; ærũnas & calamitates intollerabiles in ꝓbrũ et cõtumeliã mariti vertere. Itaq; cũ diligẽter sanctus propheta animaduerteret, impios & nefarios homines, diuino iudicio ita ferente,

vires interdũ & robur colligere: propter admissa aliquando à sanctis hominibus peccata, & linguæ iacula detorquere, & in sanctorum innocẽtiam grassari: precatur primò, errata sibi remittantur, & post deprecationem, sceleris querulationem adiunxit dicens. Opprobrium insipienti dedisti me. Aut deprecantis fortasse verba sunt, ac si dicat. Opprobrium insipienti quæso ne dederis me. Ex vita autem corruptiori hoc genus castigationis proficisci: varijs scripturarũ testimonijs firmare fuerit promptum. Vnde quæso impius ille iuuenis Absalon tãtos potuit concipere aĩos et robur colligere: vt regnũ paternũ temerè & impudẽter inuaderet: & pater

nam

nam domum insigni contumelia affi-ceret? Vnde Achitophel, Semei, a-liique acerrimi hostes Dauid qui illi non tantùm manu, sed & lingua fuerunt infensi, summaq; ope nitebãtur eius nomen & dignitatẽ lædere? Ab eis citra dubium sceleribus, quibus aliquando sanctus propheta se contaminauerat, quæ scriptura sacra non vno tantum in loco cõmemorat. Tantum enim roboris & viriũ hostes colligebant: quantum ipse ab officio & religione declinauerat.

Obmutui & non aperui os meum, quoniam tu fecisti: amoue à me plãgas tuas.

EXprimit ſanctus propheta, breuiſſimo carmine, ſanctorum in ferendis aduerſis admirabilem tolerantiã: & quæ ſit cauſa tantæ moderationis animi oſtendit. Duo ſunt potißimũ quæ ipſis diuinis caſtigationibus ſancti homines diligentiùs animaduertunt: alterum eſt diuinæ prouidentiæ æquißimus ordo: alterum autem peccatum et facinus, quo diuinam in ſe indignationem concitauere. Cùm peccatum agnoſcunt, veniam precantur: abſtinẽtq; à querelis. Sed illud potenter ſanctorum retinet linguas inter cruciatus & dolores: quod ſe, diuina prouidẽtia & iudicio æquißimo, flagellari arbitrentur. Nam ſi arbitrio hominis cuiuſpiam, tametſi ſapiẽtis,

tis, tantoperè vexarentur, ferre æquo añõ nõ potuissent durã et acerbã sortẽ et iniquã fortunã, in quã freque͂ter incidunt. Errat enim aßiduè humanũ iudicium, labitur, hallucinatur: eaq́; laborat corruptione: quæ in humanã vitam, pestem atque perniciem inferre solet. Cũ verò diuino se iudicio corripi sancti arbitrantur, certóque credant, quæcunque diuina prouidentia & consilio ducuntur, summa esse cum æquitate coniuncta: obmutescũt inter cruciatus, que͂admodũ sanctus David: qui pertinaci silentio linguã cõtinebat, quoniam quæ substinuisset incõmoda, diuina volũtate & cõsilio illata existimaret. Obmutui, *inquit, & non aperui os meum. quoniã*

tu

tu fecisti. Est autem illud à nobis diligentius animaduertendũ, quòd sancti homines interim quod in terris versantur (quod sine magno mentis stupore dici vix possit) graui ærumnarum pondere preßi & diuexati: tametsi nullius sceleris conscientia arguãtur, obmutescunt tamen, summaq; diligẽtia inter dolores & acerbitates linguas cohibent. Huius autem rei rationes & causas inuestigare sit facile. Si illud magno iudicio expendamus, quod in arcanis literis est celebre, cum diuinæ prouidentiæ imaginem aliquam mentis oculis collustrãdam subijciũt. Familiare est enim sacris scriptoribus, prouidentiam diuinam, & occulta diuinæ mentis consi-

lia: pharetram appellare, quemadmodum habet sanctus Iob. cap. 30. pharetram suam aperuit & afflixit me. Nec secus quidem ac sagittæ, aut iacula ipsa, pharetra occultantur suo tempore depromenda, consilia diuina, è quibus grauiores pœnæ, cruciatus, acerbitates, proficiscuntur, ipsa diuina prouidentia conteguntur. Educta vero iacula ex pharetra in homines contorquet: cum de occultis cõsilijs admirabilis illius prouidentiæ exemplum aliquod suæ iustitiæ & apertam sententiam profert. Agnoscũt proinde filij Dei, diuina prouidẽtia & consilio se corripi: quibus tamen ex causis aduersa patiãtur prorsus ignorant. Ob eamque rem, inter

dolores & cruciatus, diuina admirãtes iudicia: se ipsos comprimunt: & incredibili studio linguam cõtinent: cũ sancto propheta dicẽtes. Obmutui quoniam tu fecisti. Intelligunt tamen frequenter, post acerbas animaduersiones & supplicia à Deo immissa: quæ fuerit ratio diuini consilij, cũ illos durius castigaret, cùm vita ipsa emendatior, & ardentissimum virtutis & honesti studiũ, diuinas sequitur castigationes. Attendat tamẽ diligens lector, quid sanctus propheta pro tam admirabili substinẽtia & laborum tolerantià obnixius à Deo postulet. Amoue à me plagas tuas. Sũt qui si pietatis aliquod opus diuinis legibus cõsentaneũ fecerint, si proximũ

sci-

ſcilicet officio, aut cultu et reuerentia Deum fuerint proſecuti, intempeſtiuè, importunè, imò et procaciter quodammodo ſola tumenti & arroganti fiducia operũ, à Deo extorquere contendant, aut longiorem vitam: aut opes, aut diuitias, dignitates & honores, ſupremam beatitudinem deniq; & fœlicitatem. Sanctus verò propheta, poſt tã præclara atq; eximia merita, tantã animi modeſtiã ſuis precationibus declarauit: vt nihil aliud à Deo poſtulet, quã vt plagas, hoc eſt, dolores & cruciatus, eam deniq; ægritudinem in quam inciderat: tũ impiorũ hominum petulantiã & cõtumelias, quibus afficiebatur, lõge ſubmoueret. Quibus docemur, nõ eſſe in

orationibus vllo animi tumore nostra merita iactanda. aut diuinis auribus obtrudenda, sẽperq; à Deo petendũ: modeste reuerenter, summaq; animi demißione.

A fortitudine manus tuę ego defeci: in increpatiõibus propter iniquitatem corripuisti hominem.

QVas opportunitates & commoda diuinæ castigationes mortalibus adferant: paucis carminibus sacer propheta cõplexus est: Eas verò partim in superioribus, partim autẽ, præsenti versiculo eleganter exponit.

Diui-

Diuina itaque animaduersio extorquet à nobis peccati confeßionem: et dolorem excitat admißi sceleris, excutitq́ue lacrymas aliquando. Quæ sunt à nobis in superioribus annotata. Sed inter cætera emolumenta & vtilitates quas diuinis castigatiõibus mortales consequuntur: illa præstantior multo est habenda, quòd quemadmodum perditæ vitæ, peccati, & flagitij, ita etiam propriæ imbecillitatis & indigentiæ nos admonent. Possit quidem mortalis homo, suæ fœlicitatis autorem, flagitio & scelere prouocare, diuinasq; leges multis expugnare modis: & ad peccandum quidẽ validus est ac potentißimus. vt verò pro admißis faciat satis, fragilis est,

Quarum rerũ admoneamur castigatione.

L imbe-

imbecillis, pauper & egentißimus. Itaque si quispiam nostrum aliquo se contaminauit flagitio, acerbiusq; aliquanto à Deo corripitur, aut acuto morbo, aut mordaci aliqua ægritudine, debet quidem pro peccato, eas ipsas pœnas, quas Deus intentat sceleris depulsor, iustitiæ atque innocētiæ vindex. Tanta verò est imbecillitas nostra, vt ea ipsa supplicia quę nostris sceleribus inferuntur æquißimo Dei iudicio, nec ferre quidē poßimus, sine illius ope & præsidio: sed deficimus illicò ærumnarum pondere preßi, & castigationum oneri facile succumbimus. Hanc humanæ naturæ infirmitatem postremāq; indigentiā, sanctus Iob cap. 6. mæsto carmine lamentabatur

tur. Quæ est enim fortitudo mea vt substineam? aut quis finis meus vt patienter agam? Poßit inquam natura hominis, vt est in peccatum & scelus propēsa, multis se implicare flagitijs: eas tamen substinere pœnas quas pro peccato debet, & quæ iure ab illo exigantur, aut eā declarare animi celsitudinē, quam in aduersis solent excellentes homines ostēdere, nunquā possit. Est enim ad peccandum valida et fortis, ad ferendos autem dolores humili animo & imbecillo. vnde inter cruciatus ipsos, propter istam animi debilitatem, post egregia pietatis opera, multi se penitus perdidêre. Postremæ huius indigentiæ imaginē referebāt serui illi euāgelici ad postremam

inopiam redacti, quorũ alter, quingẽtos denarios, alter vero, quinquaginta communi Domino debebat. Adeo vero pater ille familias in seruos egentißimos suam munificentiam & liberalitatem declarauit, vt cùm alieno ære exire non potuissent, debitum vtrique remiserit. Diuinus itaque vates, post agnitionem peccati, admonitus etiam diuina castigatione, eam animi debilitatem vltrò fatetur, dicẽs. A fortitudine manus tuæ ego defeci, id est, ferre nõ potui ægritudinis huius dolores & iacula, quæ tua in me manus tã validè contorsit. Ac proinde ipsa me animaduersio aliquantulum seuerior, quamuis de alijs rebus, de ista tamen me præcipue erudiuit,

nemi-

neminem posse sine Dei dono & præsentia numinis ea supplicia patienter ferre, & æquo substinere animo, quæ illius sceleribus & peccatis debẽtur. Propter iniquitatem *corripuisti hominem. Dixi in superioribus, castigationes diuinas, partim in homines flagitiosos & perditos, partim in homines iustos verosq́; Dei cultores frequenter immitti. Vt si quod admisêre facinus: pœna atque verberibus eluant cõtractas peccati sordes. & vt ipsa eadẽ supplicia de multis varijsq́; rebus pios homines erudiant. Multa enim sunt quæ iusti homines inter dolores & acerbitates perdiscunt: quorum ignoratione tenerentur, si fœlici semper (& sine vlla offensione) fortu*

Chaldaica versio.

næ cursu fruerentur. Paraphrastes ergo Chaldaicus prudēti satis cōsilio, hemystichium hoc ita vertit. Propter iniquitatē castigationibus erudire soles hominē. Nā grauiores cruciatus et pœnæ, diuino illatæ cōsilio: magnas mortalibus adferūt vtilitates et incredibiles: et vexatio ipsa intellectū dat, vt propheta inquit. Ob eāq; rē, homines Deo charissimi, enixè interdū postulāt, grauiori aliquo supplicio diuino et pœna constringantur. Vt vel ea ratione omnis ignorātia, mentisq; cæcitas, illorū animis excutiatur. Sāctus Iob inter ceteros cap. 6. multis modis de diuinis animaduersionibus copiosè et elegāter edisserēs: qui inter cæteros viros Deo familiares miserrima supplicia

plicia pertulit, & ex summæ fælicitatis arce, ad sterquilinium & vermes repentè fuit deuolutus, ardenter orat & petit. Qui cœpit ipse me conterat. Soluat manum suam & succidat me Cuius obsecro sit hęc postulatio? Nũquid eius hominis qui nullo vnquam dolore & acerbitate fuit affectus? Quid inquã postulas sancte Iob. Vt qui cœpit ipse te cõterat? Fuit ne alius vnquam tot modis contritus atq; concussus, et in postremã adeò sortẽ et miseriã deiectus? Quid est qđ precaris? Soluat manũ suã et succidat me. An fortasse diuina manus cõtracta erat, cum tibi fortunas eripuit: charissimos abstulit liberos: honorẽ, dignitatẽ, corporis salutẽ: et robur, tã potẽter læsit.

aut fieri poteſt, vt iis incommodis affectus, non ſis verberibus exatiatus? Quid inquam poſtulas diuina manus ſoluatur, & acerbiori aliqua caſtigatione te corripiat? Sciebat vtique ſanctus vir humanam mentem, flagello verbereq́; diuino, innumeras vtilitates & commoda infinita cõſequi: inter cætera autem de rebus ad pietatem neceſſariis, inſtructam euadere & eruditam. Ob eamq́ue rem, cupit vehementer ſupplicia ipſa diuino cõſilio illata, illum conterant: eaq́; ratione conficiant, vt ſi fieri poſſit, nihil in eo ſuperſit quod aduerſus diuinas leges vnquam erigatur. Poſtulat, non tantum peccati folia, ſed & radices ſceleris & frondes & ſtirpes funditus

tus extirpetur. Ob eam enim causam dixit, conterat me. Et iterum, Succidat me. Intelligit primo pius homo à Deo castigatiōe aliqua correptus, vanas esse sinistras illas de Deo humanę mentis suspitiones: quibus frequenter agitatur. Nā cū se aīus ꝑpetrasse illicita sentit, nullisq; aduersis pro illis afflictari, pauore æstuat, & graui quodam timore perhorrescit: ne fortasse diuina gratia & beneuelentia perpetuò deserat, quem in præsenti vita nullum sceleris suppliciū afflixit. Tollitur deinde altera illa suspicio nō minus perniciosa quæ pios animos solet vexare. Frequenter enim ambigūt ne forsan cum vltio suspenditur, grauior multo in finem seruetur. Intelli-

gunt præterea patrem indulgentissimum, propter peccata charissimos sibi corripere: non tantum ad vindicãda scelera & flagitia quibus se contaminauêre, verum etiam vt nulla eos oblectamẽta præsentis vitæ delectẽt. & cælestem patriam, vbi certa quies spectatur, indesinenter exquirãt. Intelligunt diuinam prouidentiã, æquissima ratione omnia moderãtem, illorum sceleribus in hac vita non parcere: ne in perpetuum feriat, & castigare non parcendo, vt perpetuo à flagellis abstineat. Certioresq; quodammodo efficiuntur ex vulnere de spe salutis, cũ vidẽt corruptionem peccati, et carnis putredinem, afflictionis igni cõburi, & ferro castigationis abscindi.

di. Ad hæc, inter cruciatus & tormenta, diuinas illas consolationes accipiunt, quas inter acerbitates huius vitæ Paulus sentiebat: ita vt grauissimo mœrore affectus, tantum haberet leuamenti: vt cathenas, carceres, verbera, gloriosa duceret, & triumphos et victorias nobiles arbitraretur, pro Christo ad supplicium trahi, & sæuissimis affici flagellis. Quo circa, sanctus Iob, in quem vnum grauis tribulationum tempestas, & exũdans dolorum & acerbitatum multitudo, magno impetu ferebatur, post superiorẽ illam postulationem, de consolatione ista (abundè edoctus) subiecit. Hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore, non parcat.

Et tabeſcere feciſti ſicut araneam animameius. Verumtamen vanè cõturbatur omnis homo.

ATrocitatem adhuc illati ſupplicij ijs verbis exaggerat, & ſummam humanæ naturæ imbecillitatẽ ad ſubſtinendas cruces & afflictiones. Contabeſcit, inquit, miſer homo, vt ſolet aranea: quę dum texendis telis intenta eſt, ſeipſam exhaurit & cõſumit. Sũt qui velint pro aranea, vertendum eſſe tineam, eritq; ſenſus. Tabeſcet velut tinea anima eius. Et pro anima, deſiderabile tranſtulere. Sed ſiue tineam vertas, ſiue araneam, nõ magnoperè repugnem: dummodo ſenſus

ſus huius verſiculi conſtet, lectorque intelligat, diuinam philoſophiam, tenuitatem hominis & imbecillitatem inſectis aliquando & minutulis animātibus aßimilari. Iob cap. 8. humanam omnem fiduciam aranearum telis ſimilem eſſe dixit. Regius P. Pſal. 39. humanam vitam, tametſi longißimam, telis aranearum nō eſſe dißimilem aiebat. Eſai. 59. humanam induſtriam, ſtudium circa res fluxas & perituras, eadem exprimebat imagine, cum dixit. Telas araneæ texuerunt. Oſeas cap. 8. de humana fiducia, viribus, robore, ſapientia, multarumq; rerū cognitione inquit, In aranearū telas erit. Multa verò de tinea apud Eſa. 14. cap. & 50. Et Baruch cap. 6.

Aranearum telis hominis vita perſimilis.

6. Oſeam 5. Ea itaq; ſimilitudine, illud maximè cœleſtis ſpiritus contendit, vt miſer homo ſeipſum cohibeat, & comprimat, cum ſe videt, diuino teſtimonio, viliſsimis adſimilari vermiculis: & minutiſsima quæq; animantia illi præferri. Sed cum talis ſit, vanè tamen inquit propheta conturbatur infœlix. Dubium tamen ſit, an iſtiusmodi conturbatio, ad conſilia ſtudiaq; impiorũ ſit referenda: qui vt diuitias congerant, & dignitates & honores conſequantur, nullũ ſuis cupiditatibus & ambitioni terminũ ſtatuunt. Mihi verò probatur maximè in alium ſenſum hic locus trahatur. Nempe, vt mortalis homo, propter atrocitatem diuinarũ caſtigationum

num vehemẽter cõturbetur. Vana tamẽ sit inquit propheta hæc cõturbatio et cõfusio, ac prorsũ inutilis. Nulla enim causa incidit, cũ à Deo verberibus afficimur, perturbationis huius et motus: cũ sit diuina animaduersio: hoĩbus adeò necessaria: ob eãq; rẽ minime auersãda et refugiẽda. Deus enim cum grauiori aliquo morbo, vt nunquã à proposito exẽplo discedamus, quempiã afficit: crassitiẽ illam extenuat, quæ peccatis et sceleribus, perditaq; vita concreuerat. Socrates apud Platonem in Phædo, vt sanctarum scripturarũ testimonia prætermittamus, longa peccandi consuetudine, crassiorem quodammodo effici humanam mentem arbitratur: &

Socratis de castigatione iudicium.

exte-

extenuari etiam, ipsa seueriori castigatione. Quod si caro spiritui hostis est, vicissimq; contra se militat: quod in se expertus, magnus ille Paulus in omnibus verum esse dixit: consequēs est, vt quod corpori obest, prosit menti. Quod si spiritus carne nobilior meliorq; est, magis vtique fauendum sit animo, quam corpori. Quo circa, vanè conturbamur, & inutiliter cōfundimur, aduersam dicentes valetudinem: quæ diuino iudicio prosperrima est. Adde quòd grauior quicunque morbus & ægritudo acerbior, valida semper est parsimoniæ hortatrix: dehortatrixq; libidinum: & moderandæ vitæ magistra. Longum esset & superuacaneū referre, quàm mul-

tis ad ſalutem animi, corporis ægritudo profuit. Magnus ille vir à poſtrema humilitate ad faſtigium dignitatis & gloriæ euectus, cœliq; effectus clauiger, cuius ſola vmbra corporis pellebat moleſtias & morbos, Petrus ſcilicet rogatus aliquando: cur filiam ipſe ſuam graui morbo correptam, ſineret, reſpondit: Sic expedit ei. Eam verò mox vt in priſtinam ſalutem reuocauit: cum tutò ſanam fieri poſſe cognouit, habilem ipſe, imò Deus Opt. M. ad ſanandum alios effecit. Noſtrum itaq; eſt, animum curare, cœleſtiq; medico curandum offerre. Incidentes autem morbos & ægritudines intrepidè libentique animo feramus. nam ſtultum ſit ea re conturbari, quæ

maxime viuat, & expedit. Quæ tametsi comes sit iniucunda, fidelis tamen: quę crebro animum vellicet, iter signet, & tuæ conditionis admoneat. Quod si adhuc anxia tibi videtur valetudo corporis, extrema & sine remedio, sile, & gaude, ruinoso carcere vinctum te. Egrediere, mihi crede, facilius ac citius.



Exaudi orationem meã domine & deprecationem meã: auribus percipe lacrymas meas.

Hæc

HAec multarum dictionum coaceruatio, quæ à Fab. Quintilia. cõgeries appellatur; oratio scilicet, deprecatio, lachrymæ, plena est commiserationis. Atque hoc genere exornationis rhetores vtuntur, vt quod ratio aut ius extorquere nequeunt, inculcatæ frequenter voces importunæ impetrent. Nil itaq;, vt est ab Augustino annotatũ, propheta reliquit: quod iudicẽ Deũ posset in suã flectere causã. Orat enim, precatur, collacrymatur. Sũt aũt lacrymæ violẽtissime in orationibus ad permouẽdos iudices. Declarant itaq; voces istæ interiorẽ mẽtis prophetice ardorẽ, que anxia erat atq; sollicita, tum pro remissione peccati, tum pro liberatione à morbo.

Si autem pro deprecatione vociferationem legas, quod plærisq; probatũ iri video, multo magis intenditur orationis impetus. Nam vocibus interfusæ lacrymæ mirum in modum poterant commiserationem ipsam augere. Instruitur autem Christianus homo presenti versiculo ab spiritu cælesti de ipsa orandi ratione. Oportet enim non solum orare sed & vociferari aliquando, non externo vocis & incomposito sono, & strepitu, sed ex anxio corde clamore quodam usq; ad diuinas aures erumpẽte. Et lacrymæ ipsæ, tametsi in oratiõe necessariæ nõ sint, ipsę tamen per se, tacitæ quodãmodo preces sunt. Veniam non postulant, & merentur: causam non dicũt

Lachrymæ certissima indicia pietatis.

&

& iudicem Deum ad miserationem & clemẽtiam flectunt. Sermo ipse in oratione fallere poßit: lacrymæ verò, aut rarò aut nunquam decipiũt. Ob eamq; rem, spiritus ille diuinus, Christiani hominis orationem sæpius docet lacrymis munitam esse oportere. Vix enim possent à duro & occupato corde erũpere. Adhæret enim, vt in plurimum, hic liquor eis animis qui spiritus suauitate affecti, nullo alio expetunt edulio satiari, quàm suspirijs atque singultibus, quæ à desiderio cœlestis patriæ, & tædio infœlicißimæ vitæ proficiscuntur. Sed de orandi ratione multa à nobis sunt commentarijs in Matthæum diligenter obseruata.

Ne sileas quoniam aduena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes patres mei.

SIlet nonnunquam Deus ad preces sanctorum: ad lacrymas, ad suspiria, ad singultus: loquitur aliquando. Est illius silētium, quod enixè postulant iusti homines, denegare: nullū illis concedere leuamentum inter cruciatus & acerbitates. Loquitur cùm inter flagella & castigationes, nonnihil consolationis impendit. Loquitur cum sanctos homines, grauiori aliquo impendente periculo eripit. Causam verò adiecit propter quam pertinax silentium Deus rumpere debeat


debeat. Aduena, *inquit, ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei. Patres appellat sanctos patriarchas, quorum fuit admirabilis vitæ innocentia, & diu spectata probitas: ij in terra versabantur tanquã peregrini & aduenæ, nullum prorsus habentes domicilium, aut ciuitatem manentem, vt verbis vtar Paulinis. Eo titulo, peregrini scilicet, vehementer delectabatur sanctus patriarcha Abraham, tanquam esset insignis ac pulcher, Genesis. 23. alijsque in locis. Igitur vel ob eam rem soluendum sit profundum illud silentium, inquit propheta, quod peregrinus sim & inter alienos et ignotos ducenda sit tota vitæ ratio. Nã peregri*

ni & externi homines, cum inter alienos versantur, multo egent maiori cõsolatione & leuamento. Qui enim cum amicis, affinibus, conciuibus agit, facilè quibusuis incommodis incidentibus aliquid consolationis inueniat. At verò filij Dei interim quod in terris, tanquam in aliena ciuitate peregrinantur, si Deus sileat, si non benigne faueat, blande loquatur, iustorumq́ue res ad optimos exitus perducat, quam poßint in terris animi substẽtationem inuenire? Nonne actum sit illicò de innocentia, de iusticia, de pietate? Discat proinde hoc loco miser homo & infœlix, si diuinas velit consolationes accipere, aut rerum cœlestium aliquo gustu tangi, pe-

regrinum in terris, debere agere. Peregrinos enim & aduenas Deus alloquitur, impenséque illis fauet, & illorum negocijs & rebus, ingenti prospicit studio. De hac re, si quispiam fortasse ambigat, amplissima illa & permagnifica dona, quæ sanctus patriarcha Abraham accepit, reuocet in memoriam, quòd peregrinum egerit in terris. Idem de Isaac, Iacob, cæterisque omnibus, de quibus Paulus ad Hebræos scribens affirmat, nullum in terris proprium habuisse domicilium. Nec sine magno iudicio dictũ crediderim: Peregrinus sum apud te. Nam tametsi hospitem in terra egeris, nisi aduena & peregrinus fueris

apud Deum, nullum ex tam præclaro studio feceris operepreciũ. Illud quidem in sancto patriarcha Abrahamo magnopere fuit comendabile, quod praeceptum illud diuinum: Ambula coram me & esto perfectus, tãta diligentia & studio fuerit exequutus: vt à diuina voluntate & imperio nunquam discesserit: neque à religione & officio declinauerit vnquã. Quod igitur ad Abraham dictum est: Ambula coram me: id R. P. quasi in mentem reuocans dixit. Peregrinus sum, sed apud te. Peregrinũ itaq; esse apud Deum, idem sit quod fide viuere, & à diuina pendere voluntate: totamque vitæ rationem & insti-

institutum ad diuinas leges exigere. Nam peregrini & incolæ officium est, nihil præter negocium suum agere.



Remitte mihi vt refrigerer prius quam abeam & amplius non ero.

HIc versiculus totius odæ conclusio est. Igitur quando ita res habet, quod tanquam alienus & externus inter ignotos, imò inter hostes & inimicos versor, remitte mihi vt refrigerer, *suspende obsecro tuum de me iudicium, manumque à percussione* *Epilogus*

cuſsione

cußione cohibe, vt antequam abeam, & à vita ſit demigrandum refrigerer, hoc eſt, reuiuiſcam, & à fluctibus dolorum & acerbitatum emergam: vt accepta ſpiritus conſolatione, te tandem pium defenſorem & tutorem agnoſcam, quem hactenus propter peccata & ſcelera expertus ſum ſeuerum iudicem: vt ſic tandem abs te recreatus ſecurè deponam ſpiritum. Quibus aperte docemur debere quemque noſtrum, cum Deus grauioribus ſubinde, et acerbioribus morbis corpus exagitat, iſtiusmodi incommoda in noſtra ſemper ſcelera & peccata referre, & apud parentem indulgentiſsimum queri, & conſola-

tionem

tionem petere. Cum ipse solus percutiat & sanet, cum nobis maxime est salutare, & ei fuerit visum. Cui est laus & gloria.

FINIS.

Vidit Licenciatus Eſpaña Complutenſis Vicarius & probauit.

Poſt excuſſum opus hęc deprehendimus errata.

Folio Pagina. Linea.
fo.2.pa.1.li.17.explicauim⁹ leg.explicabim⁹
fo.4.pa.1. lin.18. crederim lege crediderim.
fo.6.pa.1.lin.7.quiſcere lege quieſcere.
fo.12.pa.2.lin.1.polui lege poſui.
fo.15.pa,2.lin.18.ins lege ius.
fo.16.pa.1.lin.9.ingrunte lege ingruente.
fo.18.pa.2.lin.12. ſe cohibēt ipſos le. ſeipſos cohibent.
fo.27.pa.2.lin.8. נעגד lege נעכר
fo.41.pa.2.lin.8.denotabunt leg.detonabūt.
fo.51.pa.2.lin.5. חרל lege הבל
fo.54.pa.2.lin.17.mihi lege nihil.
fo.61.pa.2.lin.9.expandas lege expendas.
fo.68.pa.2.lin.11.capiet lege cupiet.
fo.87.pa.1.lin.5.aſſimilari lege aſſimilare.
fo.26.pa.2.lin.8.abundat,de.
fo.51.pa.1.in fine abundat ſiue.
fo.26.pa.1.lin.1.promiſſiones,deeſt,factæ.

COMPLVTI,
Ex officina Ioannis Brocarij.
1 5 5 5.


C E R
TIME
TAN
LEGI
TI
I
B

AE DECADIS

